DE PENTATEUCHI INTERPRETATIONIS ALEXANDRINAE INDOLE CRITICA ET HERMENEUTICA.

SCRIPSIT
THEOPHILUS EDUARDUS TOEPLER
HUNGARUS,
PHILOSOPHIAE DOCTOR, SEMINARII REGII
THEOL. HALENSIS SODALIS.

HALIS SAXONUM
PROSTAT APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FIL.
MDCCCXXX.

DE

PENTATEUCHI INTERPRETATIONIS ALEXANDRINAE

INDOLE CRITICA ET HERMENEUTICA.

SCRIPSIT

THEOPHILUS EDUARDUS TOEPLER

HUNGARUS,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, SEMINARII REGII THEOL. HALENSIS SODALIS.

HALIS SAXONUM

PROSTAT APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FIL.

MDCCCXXX.

DE

PENTATEUCHI INTERPRETATIONIS ALEXANDRINAE

INDOLE CRITICA ET HERMENEUTICA.

SCRIPSIT
THEOPHILUS EDUARDUS TOEPLER
HUNGARUS,
PHILOSOPHIAE DOCTOR, SEMINARII REGII
THEOL. HALENSIS SODALIS.

HALIS SAXONUM
PROSTAT APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FIL.
MDCCCXXX.

cumbam. Me quidem ipsum, non possum quin ingenue profitear, haud levem ex eo percepisse voluptatem, quod rudis illa indigestaque moles, quae ex collatione textus graeci cum hebraeo nata mihi erat ac paene in nimium accreverat, cum primum indomita videretur, sensim tamen sponte quasi sua certas induebat formas, quibus ei ordo, velut anima, qualis ea cunque sit, pararetur.

Valete mihique favete.

Scripsi Halis Sax. pridie Cal. Aug. 1830.

§. 1. *Instituti ratio.*

De indole interpretationis Pentateuchi Alexandrinae mihi scripturo sponte sua se offert operis in duas partes divisio, criticam quippe et hermeneuticam. Et in harum quidem altera ita versabor, ut primum ostendam, qualis externa fuerit codicis illius, quem interpres oculis usurpavit, forma atque conditio; dein vero ad ipsam interpretationis criticam indolem exponendam accedam, id agens, ut quae critica intercedat ratio inter textum hebraeum hodieque usitatum et graecum, quaeque huic tribuenda sit auctoritas, doceam. Quare dicere mihi proposui de additamentis, praetermissis, de locis turbatum verborum ordinem exhibentibus, de interpretamentis et emendationibus conjecturalibus, deque lectionum varietatibus, quae Judaeorum commentis opinionibusque religionem spectantibus originem debent. Appendicis loco exempla quaedam textus editionis Complutensis ad hebraeum conformati in medium proferam. Cum vero tantus Pentateuchi Samaritani cum versione nostra sit consensus, ut qui alterum accuratius pertractet, non possit non et alteram saepenumero attingere, resecandam mihi statui copiam materiarum tractandarum, quae ingens est, lectorem in multis ablegans ad Gesenii commentationem de Pentateuchi Samaritani origine, indole et auctoritate.

In altera demum disputationis parte, quam **hermeneuticam** vocavi, de modo et ratione, qua interpres munere suo functus sit, uberius exponam.

Pars I.

De critica interpretationis indole.

§. 2. *De critico illius habitu in universum.*

Quod concinnatorem Samaritanum agentem observas, ut scilicet textum ubique sibi reddat constantem et aequabilem, locos parallelos, quos vocant, ad se invicem conformando, ut difficultates, quibus nunc verba, nunc res ipsae in hebraeis vel re vera laborant, vel laborare videntur, variis interpretamentis et emendationibus tollat, ut opinionibus quibusdam atque superstitioni judaicae imprimis serioris aevi indulgendo ad textus verba mutanda induci se patiatur: eodem plane studio occupatum, ni fortasse jam archetypum exemplar hebraeum, ex quo uterque tanquam e fonte, sua hauserunt, easdem lectiones exhibuerit, ipsum quoque interpretem Alexandrinum observare licebit. Quae vero cum ita se habeant, haud tamen sunt levia illa varietatum genera, quibus textus graecus et a Samaritano et ab Hebraeo, si criticam singulorum indolem spectes, differt. Nam praeterquam quod graecus ex illorum quoque generum lectionibus, de quibus hactenus mentionem feci, quasdam solus sibi vindicat, affatim in omnibus Pentateuchi partibus nactus est incrementorum, quae scholiis et glossematis textum illustrantibus similia videntur; modo nonnulla plane desiderantur in graecis, modo verborum ordinem mire turbatum atque perversum offendis. Aliae lectionum varietates, quamvis nonnisi specie tales, e vitiis scripturae atque corruptelis, quas singula graeci textus verba interdum cepe-

re, natae sunt. Huc accedunt illae lectiones Alexandrino privae, quae codicis, quo in convertendis hebraeis usus erat, externae conditioni originem debent. Cum enim libri antiquissima aetate forma longe alia ac hodie scribi componique consueverint, cum codex ille hebraeus et scriptione continua fuerit concinnatus, neque ullis vocalium signis aut literis finalibus instructus, neque accentuum ope in partes distinctus, tanta ad haec literarum quarumdam hebraearum sit similitudo, ut ea facillime oculos fallere queat: fieri non poterat, quin his rationibus inductus interpres haud raro lectionem exprimeret a codice tam hebraeo quam Samaritano prorsus discrepantem. Antequam igitur ad ipsam interpretationis criticam indolem exponendam accedimus, operae pretium fuerit accuratius videre, qualem codex ille externam habuerit formam habitumque.

§. 3. *Literas, quibus codex exaratus fuit, maximam partem hodiernis literis hebraeis fuisse similes.*

Id manifesto testantur illae lectiones ab hebraeo differentes, quae permutatione literarum figura similium, prout eas alphabetum quadratum exhibet, nituntur. Hac vero in re aeque ac in vocalium assignatione a masorethica discrepanti interdum judicatu difficillimum est, quae varia sit lectio, quid ipsius interpretis ignorantiae et hallucinationi tribuendum. Secus res se habet in interpretamentis illis et emendationibus consulto factis, quas Noster cum Samaritano habet communes, quasque veri quam simillimum est, jam recensionem Samaritano-Alexandrinam exhibuisse. Sed de his alibi, nunc ad propositum redeamus.

a) Saepissime permutantur literae ד et ר, quarum vero etiam in veteri scriptura magna est figurae si-

militudo; 1) in codice tam Alexandr. quam Samarit. Gen. 14, 14 וירק ἠρίθμησε, leg. וידק; 22, 13 אחר εἷς, leg. אחד; 47, 21 העביר κατεδουλώσατο, leg. העביד. Vid. Gesenius de Pent. Sam. p. 38. — cf. Gen. 10, 4. 43, 14. 49, 6. Lev. 18, 21. Num. 16, 15. 21, 28. 26, 16. 2) In solo Alexandr. Gen. 4, 18 עירד Γαϊδάδ; 10, 12. רסן Δασὴ; 36, 21 דישן Ῥισών. — cf. Gen. 3, 17. 8, 21. 14, 7. 36, 35. Lev. 19, 26. Num. 1, 14 coll. 7, 42. 10, 20. — 3, 17. 21. 23. 26, 36.

b) ב et ר etiam in veteri script. sibi similes; Gen. 14, 2. שנאב Σεννάαρ.

c) ז et ו Num. 21, 14 את־והב τὸν Ζωόβ, leg. זהב.

d) ח et ה Gen. 49, 12 חכלילי χαροποιοὶ, leg. הכלילו. cf. Gesenius l. l. p. 39.

e) י et ו Gen. 49, 5. כלו συνετέλεσαν, leg. כלו. cf. lit. h.

f) ם sive מ et ה Gen. 1, 9 מקום συναγωγὴ, leg. מקוה, fortasse eadem hac voce, quae v. 10 occurrit, in errorem inductus.

g) פ et ב Num. 25, 5 שפטי ταῖς φυλαῖς, leg. שבטי. cf. Deut. 1, 15.

h) ר et ו Exod. 14, 2 et 9. החירת nom. propr. τῆς ἐπαύλεως. Videtur ה articuli loco habuisse et legisse חוות, quod ita reddit Num. 32, 41, permutato י cum ו et ר cum ו.

i) ר et ק. Lev. 5, 2 voci שרץ respondet in graecis βδέλυγμα; est enim ordo verborum turbatus, et verba τῶν θνησιμαίων βδελυγμάτων ἀκαθάρτων revocanda ad hebraea בנבלת שרץ טמא, ut evidenter ostendit Scharfenbergius Animadv. ad fragm. verss. graec. V. T. p. 79. Unde patet, interpretem legisse שקץ, quod saepissime reddit βδέλυγμα, cf. 7, 21. (LXX v. 11.) 11, 10. 12. 13. 20. etc., שקץ βδελύσσομαι. Lev. 11, 11. 13. Huic gemina, sed plane contraria est

lectionis varietas שרץ pro שקץ Lev. 7, 21, quam tuentur Sam. Syr. Saad. Chald. cum 7 codd. hebr. —

In veteri scriptura habet, quo nitatur lectio שרי pro שדה, quod Gen. 14, 7. reddit *τοὺς ἄρχοντας*, permutatis literis ה et י, nec non ד et ר.

§. 4. *Codici hebraeo nulla apposita fuisse vocalium signa.*

Plurimae sunt graeci textus ab hebraeo discrepantiae, nec raro manifesti interpretis errores, a codice omnibus prorsus vocalium punctis carente profecti. Atque hujus generis exempla ut de praestantia et utilitate vocalium hebraearum, sic de perfecta linguae cognitione ac peritia eorum, qui auctores illarum habentur, egregie te docebunt. Nam profecto interpretem non toties tamque insigniter hallucinatum lapsumque fuisse, ut lectiones interdum toto coelo a verbis hebraeis differentes exprimeret atque in alia omnia abiret, si textum masorethicum oculis usurpare ei contigisset, mihi quidem persuasissimum est. En tibi largam exemplorum, quorum quaedam suo loco uberius tractabimus, segetem, multis adhuc augendam! Gen. 4, 26 אָז הוּחַל *οὗτος ἤλπισεν*, leg. זה הוחל a verbo יחל. — 15, 11 וַיַּשֵּׁב *συνεκάθισεν*, leg. וַיֵּשֶׁב. — 25, 25 שֵׂעָר *δασύς*, leg. שָׂעִר — 26, 14 עֲבֻדָּה *γεώργια*, leg. עֲבֹדָה. — 31, 50 רֹאֶה *ὁρῶν*, leg. רֹאֵה. — 38, 12. 20 רֵעֵהוּ *ὁ ποιμὴν αὐτοῦ*, leg. רֹעֵהוּ — 47, 18 לֹא־נְכַחֵד *μὴ ἐκτρίβωμεν*, leg. נִכָּחֵד. — Exod. 2, 25 וַיֵּדַע אֱלֹהִים *καὶ ἐγνώσθη αὐτοῖς*, leg. וַיִּוָּדַע אֲלֵיהֶם. — Lev. 18, 21. מֹלֶךְ *τῷ ἄρχοντι*, leg. מֶלֶךְ. — Num. 11, 4 וַיָּשֻׁבוּ *καθίσαντες*, leg. וַיֵּשְׁבוּ. — 16, 5 בֹּקֶר וְיֹדַע יְהוָה *ἐπέσκεπται καὶ ἔγνω ὁ θεός*, leg. בִּקֵּר coll. Lev. 13, 36 (ex Cappelli opinione פקד) et יָדַע. cf. 2 Tim. 2, 19 — — 21, 30. בְּנָשִׁים *γυναῖκες*, leg. נָשִׁים. — Deut. 33, 2. קֹדֶשׁ *Κάδης* leg.

מִקְדַּשׁ. — Conf. Gen. 13, 10. 18, 12. 26, 33, 47, 31. 49, 6. 21. Exod. 16, 32. 22, 12. (LXX 13). Num. 24, 6. 22. 32, 35. 33, 8. 34, 7. Deut. 25, 7. 33, 13. —

§. 5. *Codicem exaratum fuisse scriptione continua, neque literis finalibus instructum.*

Exod. 17, 16 verba כִּי־יָד עַל־כֵּס יָהּ, ubi lectio vulgaris כס pro נס procul dubio mendosa est (vide Gesenii Comm. de Pent. Sam. p. 34), conflatis duabus vocibus in unam transfert: ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ, quasi leg. עַל יָד כְּסִיָּה. — Num. 24, 22: עַד־מָה πανουργία, leg. עָרְמָה. Qui tamen ambo loci inter illos referendi sunt, in quibus explicandis mirum non foret, si vel masorethicum textum secutus interpres, conjectura ductus diversam a vulgari lectionem expressisse videretur. — Exod. 29, 5. חֵשֶׁב reddit λογεῖον, deceptus formae similitudine, quam illud refert cum חשן, si pro litera finali substituas נ.

§. 6. *Literam ש caruisse puncto diacritico.*

Gen. 26, 12 שְׁעָרִים a שַׁעַר modius; Noster: κριθή, שְׂעֹרִים, de qua lectione alibi. Vid. §. 12. — v. 20. עֵשֶׂק et הִתְעַשְּׂקוּ reddit ἀδικία, ἠδίκησαν; legit enim transposito puncto diacritico עֹשֶׁק et הִתְעַשְּׁקוּ, forsan ignorans significationem hapaxlegomeni עֵשֶׂק, litigare. —

§. 7.

Praemissis, quae de externa codicis hebraei forma dicenda nobis erant, ipsam, qualis sit, videamus criticam Pentateuchi graeci indolem. Et primum quidem agemus

de Additamentis.

Immensa est additamentorum, quibus textus graecus cum hebraeo comparatus abundat, moles a nimio studio textum ubique sibi constantem et aequabilem eumque magis perspicuum, pleniorem perfectioremque reddendi profecta. Neque vero de illis loquor, quae levioris sunt momenti et utramque fere paginam complent, quae, cum infinitum foret vel sola loca indicare, verbo meminisse sufficiat. Innumeri quippe sunt loci, in quibus waw copulat. et vocula כל a Graeco sunt expressa, quin eadem habeat Hebraeus, vel alia quaedam pronomina, quorum vicibus in Semiticis dialectis suffixa funguntur, praeter hebraea a Nostro adduntur, vel pro solo יהוה aut אלהים lectio יהוה אלהים, pro ישראל υἱοὶ Ἰσραήλ, pro מצרים γῆ Αἰγύπτου exhibetur. Frequenter suppletur λέγων, ubi eodem caret Hebraeus, rarius particulae ἐκεῖ, δεῦρο, ἰδοὺ aliaeque. Neque tamen nulli sunt loci, in quibus contrarium obtinet eaque omnia, imprimis quae primo loco diximus, licet in hebraeis habeantur, in interpretatione tamen sunt neglecta. Gravioris momenti ad cognoscendam criticam interpretationis indolem reliqua sunt additamenta, eaque digna, quae accuratius a nobis tractentur. Nam praeterquam quod magna illorum pars textus conformandi gratia versioni nostrae accrevit, non illi modo loci, ubi nexus verborum minus est concinnus vel aliquid deesse videtur, supplementis quibusdam, sat quidem interdum bonis, non tamen necessariis explentur, sed saepissime etiam tales, qui jam per se clari sunt, mox singulis vocibus, mox brevioribus longioribusve sententiis et velut scholiis illustrantur et augentur. Atque horum additamentorum alia ita sunt comparata, ut glossematum ex margine in textum receptorum atque interpolationum simillima videantur; alia, quae etiam Samaritanus habet, jam olim in codice aliquo hebraeo expressa fuisse a vero non abhorret. Quan-

tum vero illorum ipsius interpretis perspicuitatem sectantis ingenio atque textui interpretationis Anteorigeniano tribuendum sit, vix quisquam certo definire ausit. Nos in perlustrandis diversi generis additamentis eum sequemur ordinem, ut primum de illis agamus, quae conformationis gratia in textum fuere invecta, dein vero ad reliqua, quae perspicuitatis studio originem debent, accedamus.

§. 8. *A. De locis ex aliis parallelis vel correctis vel suppletis.*

Insigne est studium sive interpretis ipsius, sive alius cujuspiam concinnatoris, textum graecum in omnibus Pentateuchi libris conformandi exaequandique. Et latius quidem illud extenditur quam ad sola supplementa ex locis parallelis petita. Nam ipsam quoque verborum collocationem et ordinem mutatum, formas eorum correctas, imo alia aliis permutata ad textum conformandum videbis. Quare primum hujus generis exempla oculis subjicere placet.

a) *Conformatur collocatio verborum.*

Sic primo statim Geneseos capite verba: et fuit ita e v. 7 Graecus transfert in v. 6, id observans, commate 9. 11. 15. 24 eundem illa locum occupare, ita quidem, ut statim Dei jussa excipiant. — Gen. 2, 4 text. hebr. terram et coelum; LXX. Sam. coelum et terram, quia ut in membro praecedenti, ita alibi fere constans est haec verborum illorum consecutio. cf. Gen. 1, 1. 2, 1. 14, 19. 22. etc. — Lev. 20, 19. 21, 2 patrem praefert matri, priori illum loco ponens, coll. 20, 9. Exod. 20, 12. 21, 15. 16 etc. — Num. 32, 2. 25. 29. 31 Ruben tanquam primogenitum collocat ante Gad, quem locum Hebraeus ei v. 1 assignavit, — cf. Gen. 41, 18, coll. v. 2. 4. — cap. 41, 20 coll.

v. 4. — Exod. 20, 17, coll. Deut. 5, 21. — Deut. 9 26 coll. v. 29.

b) Corrigitur forma verborum.

Gen. 2, 18 אעשה ποιήσωμεν (נעשה) coll. 1, 26. — 8, 17 verba וּפָרוּ וְרָבוּ, quae orationis contextus ad animalia e Noachi navi egressa referri jubet, Noster ita transfert, quasi Deus Noachum ipsum ejusque familiam alloqueretur: καὶ αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε, coll. 9, 1. 7. 1, 28. — 24, 19 (LXX 18) ותכל להשקתו ἕως ἐπαύσατο πίνων; correxit illa hoc modo: עד אם־כלה לשתת, postrema commatis verba respiciens. — cf. Gen. 39, 14 coll. v. 7. 12. —

c) Permutantur verba cum verbis.

Gen. 7, 11 et 8, 4 videbatur numerus 17 dierum repugnare cap. 8, 14 numero 27 dierum. Quam difficultatem ut tolleret, conformationis causa etiam ibi 27 posuit dies. Vid. Vaterum (Komment. über den Pent.) ad h. l. Non est igitur, quod cum Cappello opineris, variam lectionem inde ortam, quod duas voces עשר יום, compegerit in unam עשרים. — Gen. 9, 7 pro verbis שרצו בארץ ורבו־בה substituit e cap. 1, 28 מלאו את־הארץ וכבשה πληρώσατε τὴν γῆν καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς. — Gen. 37, 4 pro fratribus Josephi Graecus et Samarit. reponunt filios Jacobi coll. v. 3. — c. 46, 7 text. hebr. habet filias filiorum, quas Noster conformationis gratia convertit in filias filiarum; praecedunt enim filii filiorum. Sed cod. Alex. facit cum hebraeo. — c. 46, 13. nomen viri יוב, quod quidam varietatem lectionis negantes Arabicum esse et respondere hebraeo ישוב contendunt, Graecus et Sam. haud dubie locum parallelum Num. 26, 24. (conf. etiam 1 Chron. 7, 1.) spectantes corrigunt ישוב. — Exod. 12, 29 עד בכור השבי ἕως πρωτοτόκου

τῆς αἰχμαλωτίδος (שביה). Collato loco parallelo c. 11, 5, ubi leguntur verba עד בכור השפחה, dubium esse nequit, nostrum locum ad hunc fuisse accommodatum. Hinc quo magis etiam sibi invicem redderentur similiores, scholion edit. Rom. ad vocem θεραπαίνης cap. 11, 5 addit, ἄλλος, αἰχμαλωτίδος. — Exodus 19, 18 text. hebr. et tremebat omnis mons; LXX: omnis populus, coll. v. 16. — Exod. 35, 35 מלאכת חרש τὰ ἔργα τοῦ ἁγίου; fortasse ratione habita cap. 36, 1. 3. 4, aut deceptus fuit interpres soni similitudine, cum קדש frequentius hic legatur. — Num. 4, 3. 23. 30. 35. 39. 43. 47. Ad differentiam chronologicam tollendam annorumque numerum, quo expleto Levitae sacrorum ministerio idonei essent, exaequandum locos laudatos ex cap. 8, 24 Graecus ita corrigit, ut pro 30 annis substituat annos 25. Vide idem eum agentem Num. 35, 4 coll. v. 5. — Deut. 5, 23 T. H. e medio tenebrarum; LXX: e medio ignis, coll. v. 24. — Deut. 11, 8 למען תחזקו, ἵνα ζῆτε καὶ πολυπλασιασθῆτε. Correxit et supplevit verba illa e cap. 8, 1, ubi legitur למען תחיון ורביתם, cf. etiam cap. 30, 16. — Huc spectant praeterea loci: Gen. 7, 2 coll. v. 3. 9. 6, 19. — 10, 23 coll. 1 Chron. 1, 17. — 18, 29. 30 coll. v. 28. 31. 32. — 23, 5. 14 coll. v. 11. — 26, 18 coll. v. 15. — 36, 2. 14 coll. v. 24. — 37, 22 coll. v. 20. — 40, 1. 5 coll. v. 2. 16. 22. 23. — Exod. 9, 23 coll. v. 22. — 10, 13 coll. v. 21. 22. — v. 19 coll. 22 etc. — 11, 3 coll. 5, 21. 7, 20. — 19, 9 coll. 13, 22. 14, 19. 24 etc. — 32, 11 coll. Deut. 9, 29. — Lev. 8, 26 (LXX v. 25) coll. v. 31. — 13, 31 coll. v. 30. 32. 36. — 17, 4 coll. 18, 29. 19, 8 etc. — Num. 3, 9 coll. 8, 16. — 4, 27 coll. v. 32. — 22, 18 coll. v. 13. — 24, 14 coll. v. 25. — 33, 7 coll. v. 6. 10. 11. etc. — Deut. 32, 44 coll. v. 46. — conf. etiam Gen. 13, 6. Deut. 12, 30.

§. 8. B.

Longe amplior est numerus illorum locorum, qui textus conformandi gratia verborum ac sententiarum, imo integrarum periodorum accessione fuere aucti interpolatique. Exemplo sunto sequentes: Gen. 1, 8 inseruntur verba: et vidit Deus, quod erat bonum cf. v. 10. 12. 18. — v. 9 et congregata est aqua, quae sub coelo, in congregationes suas et apparuit arida. Est quippe auctoris hujus capitis ea narrandi ratio, ut postquam jussa Dei patefecerit, iisdem fere verbis referat illis convenienter fuisse factum. cf. v. 3. 6 seq. 11 seq. 14 seq. etc. Quod cum hic praetermissum fuerit, concinnatoris manus lacunam explevit. — Ejusdem cap. commata 11 et 12 ita ex se invicem sunt correcta et suppleta, ut v. 11 non modo alterum κατὰ γένος conformationis causa loco suo sit motum, verum etiam eidem commati ex v. 12 addatur κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα; commati vero 12 tum κάρπιμον, tum ἐπὶ τῆς γῆς ex v. 11 inseratur. — Quibus in locis mentio fit de diversi generis animalibus, quae Deus creaverat, ii frequenter ex se invicem incrementa cepere. Gen. 1, 28. 6, 19. 8, 1. 19 coll. 1, 26. 30. 6, 20. — Ut totum comma 3 cap. 7 similitudinem referat cum v. 2, priori membro additur mundis, posteriori et ab omnibus volatilibus immundis duo duo, marem et feminam. Simile additamentum nactus est v. 8. — c. 8, 13 inseritur in vita Noachi, coll. 7, 11. — 10, 32 insulae (gentium) coll. v. 5. — Cap. 11, quod a v. 10 — 26 genealogiam majorum Abrahami sistit, exhibito annorum numero, quos singuli vixere, Noster cum Sam. e priori genealogia c. 5, 5 seq. addit et mortuus est. — A vero haud abhorret, cap. 11, 12. 13 textus conformandi causa nomen Καϊνᾶν ab Alexandrino fuisse insertum, indeque in c. 10, 22. 24 et 1 Chr. 1, 18 (cf. Luc. 3, 36) translatum. Cum

enim observaret, genealogiam majorum Noachi, quae cap. 5. exhibetur, 10 personarum nomina complecti, eundem numerum et in Abrahami majoribus memorandis affectans, fortasse simul traditionem quandam secutus Cainanis nomen in textum recepisse videtur. — Vid. Usserii diss. de Cainane in ej. Syntagm. de LXX Intt. vers. — cap. 15, 21 augentur populi Cananaei Hevaeis; eademque ratione et reliqui loci, in quibus nomen quoddam gentis Canah. Hebraeus omittit, supplementa quaedam ex se invicem nacti sunt. cf. Exod. 3, 8. 17. 13, 5. 23, 23. 28. 33, 2. 34, 11. Num. 13, 30. Deut. 7, 1. 20, 17. — c. 20, 2 idem narrat Graecus de Abrahamo Gerane commorante, quod c. 26, 7 Hebraeus de Isaaco, quod nempe timuerit dicere Saram uxorem suam esse, ne propter eam incolae urbis ipsum occiderent. — c. 24, 43 haec addita leguntur: et filiae incolarum urbis egrediebantur, ut aquam haurirent, coll. v. 13. Ejusd. cap. v. 44: ex eo cognoscam, te benignitatem exercere erga dominum meum Abrahamum, coll. v. 14. — c. 29, 1 (et ivit Jacobus) ad Labanem filium Bathuelis Syri, fratrem Rebeccae, matris Jacobi et Esavi. cf. c. 28, 5. — c. 47, 19 moriendi verbum in hebraeis per zeugma de terra est usurpatum; quare Noster partim ad hanc structurae duritiem leniendam, partim ad textum conformandum e membro sequenti supplet ἐρημωθῇ. — Exod. c. 2 post vers. 22 edit. Compl. et Ald. cum 32 codd. graec. conformationis gratia subjungunt integrum comma 4 cap. 18, idemque additamentum exhibent Vulg. Syr. Saad. — c. 4, 6 additur e sinu suo e v. 7. — v. 17 (virgam istam) versam in serpentem e c. 7, 15. — c. 7, 9 aut portentum e v. 3; et coram servis ejus e v. 10. 20; in terram e c. 4, 3. — c. 20, 17 inseruntur verba: neque agrum ejus e Deut. 5, 21; haec autem: neque ullum pecus tum nostro loco,

tum Deut. 5, 21 adduntur e Deut. 5, 14. — Cap. 23 commati 22 longius adnexum est additamentum petitum e c. 19, 5. 6. — Libro tertio praeter alios locos ad parallelos conformatos imprimis illi, in quibus ritus sacrificiorum aliaque ad cultum et religionem pertinentia exponuntur, constanter ita supplentur, ut quod alteri desit, id ex altero ei inseratur. c. 1, 10. 2, 4. 3, 1 additur domino e cap. 1, 2. 14. 3, 6. — v. 11 et imponit manum super caput ejus e v. 4. — c. 2, 1 sacrificium est e v. 6. — c. 3, 2. 13. 16, 15 (et jugulabit) ante dominum, coll. 1, 5. 11 etc. — 3, 5 super altare, coll. 1, 8. — v. 11 odor suavitatis coll. v. 5. 16 etc. — Num. c. 1 comma 20, quod cum numeratione tribus Ruben incipit, quasi norma est, ad quam omnia reliqua singularum tribuum conscriptionem exhibentia conformantur. Hinc commati 24. (LXX post vs. 37) 26 et 28 inseritur ex eo omnia masculina; commati vero 32. 34. 36. 38. 40. 42 secundum caput eorum, omnia masculina. — cap. 2, 7. 14. 20. 22. 29 et castra metantes juxta coll. v. 5. 12. 27. — Deut. cap. 9 v. 26 inseruntur verba brachio excelso e cap. 26, 8; huic vero fortitudine magna ex illo. — Vide praeterea locos: Gen. 1, 14 coll. v. 17. — 2, 15 coll. v. 8. — 3, 10 coll. v. 8. — 3, 17 coll. v. 11. — 4, 25. 30, 10 coll. 4, 1. 17. 30, 5. 7 etc. — 6, 20. 7, 15 coll. 7, 3. 16. — 7, 17 coll. v. 4. — 9, 1 coll. 1, 28. — 9, 16 coll. v. 13. — 11, 8 coll. v. 4. 5. — 12, 6 coll. 13, 17. — 13, 17 coll. v. 15. — 17, 10 coll. v. 7. 9. — v. 14 coll. 21, 4. — v. 19 coll. v. 7. 8. — 18, 5 coll. 19, 2. — v. 16 coll. v. 20. — v. 23 coll. v. 25. — 21, 22. 32 coll. 26, 26. — 24, 4 coll. v. 7. 38. — v. 7 coll. v. 3. — v. 8 coll. v. 5. — v. 14 coll. v. 19. 22. — v. 15 coll. v. 45. — v. 46 coll. v. 18. — v. 47 coll. v. 23. — v. 54 coll. v. 56. — 26, 25 coll. v. 17. 19. — 27, 6 coll. v. 15. — 29, 32 coll. 30, 6. — 30, 5 coll. v. 7. — v. 9 coll. v. 4. — 31, 10 coll. 30, 41 — v. 13 coll. v.

3. — v. 22 coll. v. 24. — v. 35 coll. v. 34. — v. 54 coll. 24, 54. 25, 34 etc. — 34, 10 coll. v. 21. — v. 15 coll. v. 16. — v. 24 coll. 17, 11. 14 etc. — v. 29 coll. v. 28. — 36, 39 coll. v. 35. — 38, 13 coll. 11. — v. 15 coll. v. 16. — 39, 13 coll. v. 15. — v. 17 coll. v. 14. — v. 23 coll. v. 3. — v. 18 coll. v. 15. — 41, 4. 7. 20 coll. v. 2. 3. — v. 7 coll. 6. 23. — v. 19 coll. v. 2. 3. — v. 20 coll. v. 4. — v. 21 coll. v. 4. 5. — v. 24 coll. v. 7. 22. — v. 50 coll. v. 27. — 42, 2 coll. 43, 2. 44, 25. — 42, 27 coll. v. 35. — v. 33 coll. v. 19. — 43, 3. 5 coll. v. 4. 42, 13. 20. 30. — v. 16 coll. v. 29. — v. 26 coll. 42, 6. 48, 12 etc. — 44, 29 coll. 42, 38. — v. 32 coll. 43, 9. — 47, 19 coll. v. 23. —

Exod. 2, 11 coll. v. 23. — v. 17 coll. v. 16. 19. — v. 22 coll. v. 2. — 3, 8 coll. 6, 8. — 4, 1 coll. 3, 13. — 8, 3 (LXX v. 7) coll. 7, 11. — v. 7 (11) coll. v. 9 (13). — v. 12 (16) coll. v. 1 (5). 13 (17). — v. 16 coll. v. 23. 24. — v. 24 (28) coll. v. 4. (8). — 9, 8 coll. 7, 10. 20. — v. 9 coll. v. 22. 8, 13 (LXX 17). — v. 28 coll. v. 24. — v. 29 coll. v. 33. 34. — 10, 4 coll. 9, 18. — v. 12 coll. v. 15. — v. 23 coll. v. 22. — 11, 2 coll. 3, 22. — v. 3. coll. 12, 36. — v. 9. 10 coll. 7, 3. — 12, 10 coll. v. 46. — v. 39 coll. Gen. 45, 21. — 14, 3 coll. v. 5. — v. 20 coll. v. 19. — v. 26 coll. v. 28. — 17, 9 coll. 18, 21. 25. — v. 10 coll. v. 9. — 18, 8. 9 coll. v. 10. — 19, 8 coll. v. 5. — v. 10 coll. v. 21. — 20, 10 coll. Deut. 5, 14. v. 12 coll. 3, 8. Deut. 1, 25. 35 etc. 5, 16. — 21, 16 (LXX 17) coll. Deut. 24, 7. — v. 36 coll. v. 29. — 22, 13 (LXX 14) coll. v. 9 (10). — v. 29 (30) coll. v. 8. 9 (LXX 9. 10). — 23, 8 coll. Deut. 16, 19. — v. 31 coll. Gen. 15, 18. Deut. 1, 7. — 25, 4 coll. 26, 1. 31. 36 etc. v. 9 coll. v. 40. — v. 28 coll. v. 17. 29. — v. 35 coll. v. 34. — 29, 10 coll. v. 11. Lev. 4, 4. etc. — v. 38 coll. v. 1. Lev. 14, 10. 23, 18 etc. — 32, 13 coll. Deut. 1, 10. 10, 22 etc. — v. 15 coll. 31, 18. — 33, 8 coll. v. 7. — 34, 1 coll. 24, 12. — v. 7 coll. v. 6. — v. 13 coll. Deut. 7,

5. 25. 12, 3. — v. 16 coll. Deut. 7, 3. — 35, 22 coll. Num. 31, 50. — v. 35 coll. v. 31, 36, 1. —

Lev. 3, 2. 4, 34 coll. 4, 25. 30. — 3, 5. 8 coll. 1, 5. 7. 8 etc. — 4, 2 coll. Deut. 1, 41. 9, 16. — v. 4 coll. v. 15. — v. 7. 17 coll. v. 5. — v. 13 coll. v. 2. — v. 14 coll. v. 3. — v. 17 coll. v. 6. — v. 18 coll. v. 7. — 5, 6. coll. 4, 35. — 6, 2 (LXX 9.) coll. v. 5 (12). 6 (13). — 7, 3. (LXX 6, 33.) 9, 19 coll. 4, 8. — 10, 6 coll. v. 12. — v. 9 coll. Exod. 30, 20. — v. 15 coll. v. 14. — 11, 3 coll. Deut. 14, 6. — v. 4 coll. v. 3. — v. 10 coll. v. 9. — v. 26. 15, 9 coll. 11, 24. 27. 31. 15, 8. — v. 31. 43 coll. v. 29. — v. 40 coll. 15, 6. 7. 8 etc. — 13, 4 coll. v. 6. 26. 28. — v. 22. 27 coll. v. 20. — v. 29 coll. v. 2. 9 etc. — v. 39 coll. v. 38. — 14, 47 coll. v. 46. — 15, 12 coll. v. 13. — 16, 1 coll. 10, 1. Num. 3, 4. — v. 24 coll. v. 17, 33. — 17, 3 coll. v. 10. 20, 2 etc. — 18, 23 coll. v. 20. — 19, 23 coll. 23, 10. 25, 2. — 23, 19 coll. v. 20. — 26, 24. 41 coll. v. 28. — v. 45 coll. Exod. 13, 3. 4 etc. —

Num. 3, 24 coll. v. 30. 35. — 4, 41 coll. v. 45. — 5, 23 coll. 18. — 6, 12 coll. v. 9. — 8, 19 coll. v. 16. — 9, 16 coll. Exod. 40, 38. — 14, 10 coll. Exod. 16, 10. — 15, 5 coll. v. 10. — v. 6 coll. v. 3. — 16, 37 coll. v. 39. — 19, 3 coll. v. 9. — v. 18 coll. v. 16. — 20, 3 coll. v. 2. — v. 8 coll. v. 9. — v. 25 coll. v. 27. — 21, 21 (LXX v. 20) coll. Deut. 2, 26. — 22, 11 coll. v. 5. — 23, 6 coll. 24, 2. — v. 23 coll. v. 27. — 26, 14 coll. v. 7. 18. 22 etc. — 28, 14. 20. 29, 3 coll. 28, 12. 13. 28. etc. — 28, 22, 29, 38 coll. 28, 15. 29, 11. 16. 22 etc. — 28, 23 coll. v. 6. 10. 24 etc. — v. 29 (LXX 30) coll. v. 22. — 29, 11 coll. v. 6. 28, 22. 29. — 32, 30 coll. v. 26. 27. 29. — 35, 12 coll. v. 19. — v. 20 coll. v. 22. — v. 32 coll. v. 25. 28. — 36, 1 coll. 31, 12. 13. 31. 32, 2 etc.

Deut. 1, 15 coll. v. 13. — v. 31 coll. v. 19. — 2, 5. 19 coll. v. 9. 24. — v. 7. coll. 1, 19. — 4, 1 coll. 8, 1. — v. 28 coll. 5, 26. — 5, 22 coll. 4, 11. — 7, 5 coll. v. 25. — v. 22 coll. Exod. 23, 29. — 8, 4 coll. 29, 4 (LXX 5). —

v. 19 coll. 31, 28. — 12, 26 coll. v. 5 etc. — 15, 10 coll. v. 8. — 22, 1 coll. v. 4. — 24, 17 coll. v. 19. — v. 20 coll. v. 18. 22. — 27, 7 coll. 6, 11. 8, 10. 12 etc. — 28, 12 coll. 15, 6. — 30, 4 coll. 4, 32. —

§. 9.

Recensitis, quae conformationis studio originem debent, graeci textus redundantiis, jam ad reliqua additamenta, quae perspicuitatis causa eidem accreverunt, accedamus. Huc spectant

a) Nomina, imprimis personarum, etiam tum in interpretatione repetita, ubi sensus verborum planus est et clarus, neque ulla ambiguitas locum habere potest, de quonam sit sermo. Conf. Gen. cap. 1, v. 7. 3, 1. 9. 11. 7, 16. 9, 12. 12, 11. 14, 19. Exod. 2, 22. 3, 7. 12. Lev. 2, 9. 4, 18. 13, 51. Num. 2, 2. 5, 9. 23, 4. 15. 30, 16 etc.

b) Verba hebraea in plura diducuntur et augentur ita, ut quod ibi singulis vel paucioribus est comprehensum, id in graecis cumulate per verba vel synonyma, vel cognatae significationis vel quibus sensus quasi gradibus assurgit, sit expressum. Mihi quidem admodum probabilis est opinio, textus illustrandi gratia quaedam certe hujus generis additamenta primum margini fuisse adscripta, sensim vero pedetentimque in textum ipsum, quo evaderet plenior et perfectior, invecta. Atque hinc fit, ut interdum duae interpretationes in unam coaluisse videantur. Partem vero illorum ipsius interpretis perspicuitatis studio recte tribui posse, haud invitus concesserim.

Gen. 1, 12 למינו *κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα.* — 3, 14 על־גחנך *ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ.* — 3, 24 Text. hebr. et collocavit (וישכן) ab ortu paradisi Cherubos. LXX: et collocavit (*κατῴκισεν*) eum (hominem) ex adverso paradisi et constituit

(ἔταξε) Cherubos cet. Suspicatur Holmes, καὶ ἔταξεν fortasse aliam fuisse lectionem pro καὶ κατῴκισεν et ex margine in textum inductam (addito ad alterum verbum pronomine αὐτὸν). — 15, 11 ad illustranda verba ἐπὶ τὰ σώματα e v. 17 inseritur ἐπὶ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν. — V. 13 T. hebr. affliget eos; LXX: affliget eos et deprimet eos. — 20, 4 T. H. num gentem etiam justam occides? LXX: ignorantem et justam. — 27, 9 T. H. hoedos bonos; LXX: teneros et bonos. — 31, 10 T. H. hirci; LXX: hirci et arietes. T. H. oves; LXX: oves et capras. — 35, 3 T. H. fuit mecum in via; LXX: fuit mecum et servavit me. — Gen. 48, 7 כברת־ארץ κατὰ τὸν ἱππόδρομον Χαβραθὰ τῆς γῆς. Vox ἱππόδρομος, ut alibi (cf. 35, 19, ubi eadem desideratur in cod. Alex., ed. Compl., Ald. ac 22 codd. H.), ita hic glossam mihi sapit, interpretamenti causa in textum invectam. Mihi quidem interpres, quod alias Theodotionem facere observas (vide tamen locum Gen. 36, 24, ubi Noster vocem hebr. ימים thermas denotantem reddit Ἰαμείν), ut scilicet verba quaedam hebraea intellectu explicatuque paulo difficiliora sua faciat, quin ea graece convertat, idem nostro loco fecisse ipsamque vocem hebraeam, de cujus vero significatu adhuc sub judice lis est, retinuisse (hinc cap. 35, 16. 4 Reg 5, 19 solum legitur Χαβραθά; posteriori loco cod. Vat. per vitium scriptionis habet δεβραθά), eam vero glossator quidam ex notione hippodromi Aegyptiaci interpretatus esse videtur. Atque idem etiam de altera commatis nostri parte (ἐν τῇ ὁδῷ τοῦ ἱπποδρόμου), ubi vocem Ἐφραθᾶ coll. loco parallelo 35, 19 invitus desidero, licet nullus plane codex eam exhibeat, intelligi velim. — Exod. 25, 17 כפרת ἱλαστήριον ἐπίθεμα. Glossam marginalem redolet ἐπίθεμα, qua verae nominis כפרת male ab interprete deducti (a כפר Pi. expiare) notioni succurratur. Lectio autem editionis Aldinae, quae so-

lum tuetur ἐπίθεμα, tanto minus se commendat, quo frequentius et constantius כפרת ab interprete redditur ἱλαστήριον. Vide Trommii Concord. s. h. v. — Lev. 4, 5 T. H. sacerdos unctus; Graecus addit ὁ τετελειωμένος. — Num. 13, 29 T. H. urbes munitae; LXX: munitae, muro circumdatae. — Deut. 22, 1 T. H. reducendo reduces; Graecus addit et reddes. — Deut. c. 23 commatis 18 duplex legitur interpretatio, quarum prior: οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ glossae speciem refert, fortasse eum in finem margini adscriptae, ut textus verba: οὐ προσοίσεις μίσθωμα πόρνης, οὐδὲ ἄλλαγμα κυνὸς εἰς τὸν οἶκον κυρίου, inter legendum cum paulo honestioribus commutarentur. Verba illa desunt in edit. Compl. Vid. notam Lamb. Bos in ed. LXX. — cf. Gen. 18, 26. coll. v. 28. — 35, 4. Exod. 22, 16 (LXX 17). 26, 12. 33, 5. (cf. v. 6). Lev. 8, 10. (LXX 11). 23, 40. Deut. 1, 28. 6, 6. 13. 7, 15. 9, 2. 12, 28. 16, 7. 18, 5. 28, 37. (vid. Scharf. l. l. p. 137) 31, 6. 32, 43.

c) *Supplementa ellipsium.*

Gen. 2, 24 bene, quod ad sensum attinet, Graecus verba hebraea et erunt caro una ita explet: et erunt duo in carnem unam; text. S. et vers. Sam. נהיה משניהם. Quam lectionem seq. Syr. Vulg. Jon. Matth. 19, 5. Marc. 10, 8. Ephes. 5, 31. 1 Cor. 6, 16. — Locum illum, qui est Gen. 4, 8, lacuna laborare, licet aliis quoque exemplis ostendi possit, pronomen indeterminatum, quod hic ad ויאמר supplendum, ubi facile e contextu intelligi potest, interdum omitti (vid. Gesenius Lehrgeb. S. 734), veterum interpretum plerique sibi persuasere. Hinc Noster cum Sam. Syr. Vulg. aliisque, haud dubie traditionem quandam exegeticam secutus haec supplet: נלכה השדה. — C. 19, 37 ad indicandum etymologiam nominum Moab et Ammon, ad quam in hebraeis alluditur, sententiam Graecus ita ex-

plet: (et vocavit nomen ejus Moab) dicens: de patre meo (מאבי) ac v. 38 (et vocavit nomen ejus Ammon) dicens: filius generis mei (בן־עמי): ut haud obscure colligi inde possit, eum, cui hoc additamentum debetur, non secus ac auctorem ipsum nomen sine waw scriptum legisse et pronuntiasse מאב. — Arcta cohaerentia, quam interpres inter versum 14 et 16 cap. 20 statuit, eum induxit, ut ibi cum Samarit. suppleret 20 didrachma, ad quae verbum נתתי v. 16 retulit. — C. 21, 9 sententia ita animo informanda videtur: a Sara conspectum fuisse Ismaëlem ludis intentum laetitiaque exsultantem, eamque propterea invidiae locum dedisse id verens, ne non fratri suo patris benevolentiam et amorem praeriperet. cf. Matth. 14, 6. Sic verbi מצחק sensum etiam Noster constituit, coll. 26, 8; sed nimis concisam et imperfectam orationem censens haec supplet: (ludentem, παίζοντα) cum Isaaco filio suo. Quem locum Ap. Paulus Gal. 4, 29 ita in usum suum convertit, ut pro παίζειν substituat διώκειν. — C. 35, 22 lacunam ratus, quia oratio paulo est abruptior, scholio addito, satis quidem illo frigido, sententiam aliquis ita explevit: et malum apparuit coram eo, quod scilicet Ruben cum patris sui pellice commercium habuerit. — Gen. 44, 4. 5 Josephus praefectum domus fratres suos, qui vix discesserant, persequi eisque dicere jubet: cur rependitis malum pro bono? v. 5: nonne ille est, in quo dominus meus bibere solet? Durior videbatur ellipsis nominis comm. 5 subaudiendi: Hinc sententiarum nexui Graecus subvenit insertis verbis: cur furati estis poculum meum? Pari modo Vulgatus interpres ellipsin supplet vertendo: Scyphus, quem furati estis, ipse est cet. Syrus: et furati estis hoc poculum, in quo cet. — Conf. Gen. 19, 15. 29, 9. 31, 32. 32, 14. — Exod. 1,

22. 2, 16. 21, 14. 33, 8. 40, 17. — Lev. 18, 11. 21, 5. 24, 7 coll. 2, 13. — 24, 17. 18. 25, 41. Num. 28, 9. Deut. 9, 10. 30, 16. 31, 9. 32, 40. — 33, 6 cod. Alex., edit. Compl. et Ald. Vid. Vater Komment. über d. Pent. Thl. 3. S. 364 u. 344. Hoffmann obss. in diffic. V. T. loca. P. I. p. 1 seq. —

Gen. 46, 20 longius habetur auctarium filios nepotesque Manassis et Ephraimi exhibens, ex 1 Chron. 7, 14. 20. 21. ut videtur, depromtum; hinc obelo notatur in cod. Alex. Atque hoc additamentum causa est aliarum quarumdam mutationum in sequentibus commatibus obviarum. Versu enim 22 textus hebr. habet, omnes animas, quae a Rachele originem duxere, fuisse numero quatuordecim. At Graecus secundum codicem Vaticanum, Alexandrinum ac plerosque alios numerat octodecim, secundum duos codices Holmesii novemdecim, additis quippe ex filiis atque nepotibus Manassis et Ephraimi ibi quatuor, hic quinque. — Vs. 27 textus hebr. haec habet: Filii Josephi, qui nati sunt ei in Aegypto, fuerunt animae duae, pro quibus Noster 9 substituit, licet v. 20 quinque tantum memoret filios nepotesque Josephi. Res ita expedienda nobis videtur. Quia v. 26 cum Jacobo 66 animae in Aegyptum profectae, numerus vero omnium animarum in familia Jacobi, quae in Aegyptum venerant, 70 effecisse dicitur (v. 27), hinc Graecus, quin reputaret, ex mente auctoris ad 66 animas praeter Josephum duos ejus filios atque patrem accessisse, insertos 5 illos nepotes pronepotesque Josephi suo arbitratu adhuc duobus auget. Quibus si adduntur Manasse et Ephraim, 9 prodeunt, hique cum 66 illis animabus faciunt numerum 75. cf. Exod. 1, 5. Nostram hac in re secutus est Luc. Act. 7, 14, quamvis Deut. 10, 22 Graecus (secundum cod. Vat., nam Alex. et Ald. etiam hic 75 habent) cum Hebraeo consentiat sibique parum constet. — Alia additamenta longiora

eaque maximam partem glossematum speciem referentia vide: Gen. 31, 48. 43, 28. 47, 5. 6. Exod. 1, 11. 4, 18. coll. 2, 23. — 22, 4 (LXX 5). Lev. 15, 3. 17, 4. Num. 4, 14. 31. 32. 10, 6. 14, 23. 23, 3. 4. 33, 36. Deut. 6, 8. 27, 23. 32, 43. (conf. Hebr. 1, 6) 44.

§. 10. *De praetermissis.*

Perlustratis diversi generis additamentis illos subjungimus locos, in quibus textus graecus, si cum hebraeo conferatur, mutilus et lacunosus apparet. Ac maximam quidem horum praetermissorum partem a librariorum minus diligenter officii sui partes implentium culpa et negligentia repetendam ducimus. Quodsi enim in antecedentibus abunde fuerit ostensum, praecipuam operam sive interpretis ipsius, sive aliorum concinnatorum in eo fuisse positam, ut textus graecus tum conformationis, tum perspicuitatis causa additamentis ubique augeretur et illustraretur, veri quam simillimum redditur praetermissiones eorum, quae textus hebraeus habet, librariorum potius socordiae quam vel interpretis culpae vel ipsi codici, unde graeca promanavit translatio, manco et lacunoso esse tribuendas. Atque hanc sententiam nostram imprimis illi confirmabunt loci, qui propter homoioteleuta lacunam passi videntur; quam ob causam multo facilius librarios, quae pervulgata eorum est incogitantia, quam interpretem in errorem induci potuisse, persuasum mihi habeo. Quare *a*) hujus generis exempla videamus.

Gen. 7, 14 neglecta sunt verba כל־צפור כל־כנף; quae enim in graecis leguntur, *πᾶν ὄρνεον πετεινόν*, referenda sunt ad hebraea וכל־העוף. Cum vero iisdem vel similibus verbis etiam illa reddi necesse fuerit, propter id ipsum e graecis ea excidisse recte suspiceris. Vide Scharf. Animadv. p. 6, qui lacunam explendam censet e Cat. Niceph., in qua

hebraea ita a LXX reddita leguntur: πᾶν ὄρνεον, πᾶν πτερωτόν. — Gen. 31, 18 ואת־כל־רכשו אשר רכש מקנה קנינו אשר רכש καὶ πᾶσαν τὴν ἀποσκευὴν αὐτοῦ, ἣν περιεποιήσατο. Facile quisque observat, postrema quatuor verba praetermissa esse in graecis; nam quae hic praeter laudata insuper leguntur, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ, glossa sunt depromta e v. 21. Facilis autem propter eundem plane exitum vocum erat permutatio prioris אשר רכש cum posteriori, omissis quae praecedunt. — Gen. 31, 51. 52 Text. hebr. Ecce cumulum hunc, et ecce statuam, quam jeci inter me et te. Testis cumulus hic et testis statua illa est. Quibus omnibus in graecis nil nisi haec respondent: ecce cumulum hunc et testis statua illa est; unde clarum fit et manifestum, eum qui haec descripsit, praecipitantia lapsum oculos a verbis ecce cumulum hunc propter homoiot. testis cumulus hic deflexisse in verba et testis statua illa est, sicque longiori, quae interjecta est, sententia praetermissa, nil nisi verba posteriora reddidisse. — Gen. 37, 10 desideratur, quod respondeat hebraeis ויספר אל־אביו ואל־אחיו. Haec vero eo facilius omitti poterant, quod v. 9 in reddendis hebraeis ויספר אתו לאחיו conformationis gratia ante לאחיו a Nostro expressum est לאבו. Quod textus explendi conformandique studium luculenter docet, lacunam hanc librarii male seduli incuriae tribuendam. — Lev. 7, 1 (LXX v. 6) exciderunt in fine verba et residuum ex eo comedetur, quia sequens versus ita incipit: et residuum de carne. — Lev. 23, 40. 41 T. H. Et laetabimini coram Domino Deo vestro septem die Et celebrabitis illud festum Domino septem di anni. Graecus: ad laetandum coram Domino Deo ve stro septem dies anni. — Deut. 8, 3 desiderantur graecis verba אשר לא ידעת, haud dubie propter ho moiot. ידעון praetermissa, licet ad textum conforma

dum e nostro loco in v. 16 invecta. — Deut. 17, 5 T. H. Et educes virum illum aut mulierem illam, qui fecerunt rem malam hanc, ad portas tuas, virum vel mulierem et lapidibus obrues cet. Graecus: et educes hominem illum aut mulierem illam et lapidibus obruetis. — Conf. Gen. 9, 10. 12, 5. 19, 16. 30, 32. 34, 24. 50, 14. Exod. 18, 10. 25, 33. 28, 6. 30, 6. Lev. 5, 5. Deut. 2, 13. 20, 16.

Alios locos, quos librariorum culpa lacuna affectos censemus, vide: Gen. 37, 5. 41, 12. 45. 43, 24. 50, 18. Exod. 13, 21. 25, 24. 28, 11. 31, 9. 10. Num. 4, 26. 7, 86. 26, 35. 39. 45. 58. Deut. 14, 1. 5. 14. 22, 26. 31, 21 etc. Integra commata, quae desiderantur in cod. Vat. et Alex., quae vero fere omnia exhibet textus edit. Compl., sunt: Exod. 28, 23 — 28. 32, 9. 35, 8. 13 — 18. 40, 7. 8. 11. 29 — 32.

b) Praetermissiones a conformandi studio profectae.

Ut ampla satis additamentorum pars textus conformandi gratia graeco codici accessit, sic locos quosdam invenisse mihi videor, in quibus ob eandem causam verba quaedam resecta omissaque fuere. Huc retulerim Gen. 8, 17., ubi text. hebr. haec habet: ושרצו בארץ ופרו ורבו על־הארץ, quae ita conversa leguntur, ut non modo formam verborum correctam videas (cf. §. 8. A. b.), verum ipsum quoque שרצו בארץ ratione habita similium locorum praetermissum fuisse eo confidentius tibi persuadeas, quod solemnis est hac in re locutio פרו ורבו ומלאו את־הארץ. cf. Gen. 1, 28. 9, 1. Hinc ed. Compl. et cod. Alex. cum 3 aliis addunt καὶ πληρώσατε τὴν γῆν. Ne quis vero opinetur, hoc additamento textum integritati suae restitui, cum tribus verbis hebraeis totidem graeca respondeant (vid. Trommii concord. s. v. πληρόω), vetat tum manifestum conformationis studium, tum Nostri interpretandi ra-

tio, qua שרץ nunquam reddit πληρόω vel πληθύνω (nam de loco Exod. 1, 7 vide §. seq.), פרה autem et רבה, si sibi juncta leguntur, fere constanter αὐξάνω et πληθύνω. cf. Gen. 17, 20. 28, 3. 35, 11 etc. Atque eadem de causa verbum שרץ etiam Gen. 9, 7 in graecis desidero. Quod enim ibi legitur, καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς, petitum est ex cap. 1, 28. — Gen. 24, 47 על־אפה על־ידיה περὶ τὰς χεῖρας αὐτῆς. Neminem locum huic geminum v. 22 conferentem fore arbitror, cui dubium sit, verba על־אפה, quae Samaritanus (cum 3 codd. graec.) contrarium agens commati 22 inserit, conformationis causa fuisse praetermissa. — Ex hoc genere est praeterea Gen. 35, 10 coll. 32, 29; qui loci ut eo sibi invicem redderentur similiores, partim fuere interpolati, partim truncati. Nam desiderantur in priori verba, quae respondeant hebraeis שמך יעקב, quod alter iisdem caret: cap. vero 32, 29 ex altero petita sunt haec: ἔσται τὸ ὄνομά σου. — Ob eandem causam Num. 1, 22 praetermissum est פקדיו, coll. v. 20. 24. 26 etc. — Haud scio, an etiam Deut. 28, 4 verba ופרי בהמתך propterea fuerint neglecta, quod locus parallelus v. 18 iisdem careat.

§. 11. *De locis turbatum verborum ordinem exhibentibus.*

Praeter postrema Exodi capita, quae fato, nescio quo, mirum in modum perturbata atque confusa exhibet cod. Vat. (c. 36, 8 usque finem LXX respondet c. 39 a fine v. 1 usque v. 31 text. hebr. — c. 37 LXX resp. c. 36, 8. 9. 35 — 38. c. 38, 9 — 23 text. hebr. — c. 38 LXX resp. c. 37. c. 38, 1 — 8 text. hebr. — c. 39 LXX resp. c. 38, 24 — 31. c. 39, 33 — 43 text. hebr., sed ita, ut textus graecus fere ubique curtatus sit et lacunosus), Complutensi editione arcte cum textu hebr. consentiente, etiam in reliquis Pentateuchi partibus multi repe-

riuntur loci, in quibus mox singula verba; mox integrae sententiae atque commata ordini, quem ea in hebraeis tenent, minus accurate respondent, suoque e loco aliorsum translata videntur. Atque hujus generis discrepantiae sive potius vitia textus graeci, quae librariorum temeritati et incuriae haud dubitanter tribuimus, aliis quidem locis primo obtutu graeca cum hebraeis conferenti sese offerunt, aliis magis latent et nisi utrumque textum accuratius examinaveris, oculorum ac mentis aciem omnino fugient. De locis, qui textus conformandi studio mutatum verborum ordinem exhibent, jam egimus; de illis, in quibus idem perturbatus est, nunc agendum.

Gen. 21, 21 desertum Pharan loco suo motum est atque adnexum Aegypto, vices praetermissi מארץ explens. Ordinem vero text. hebr. sequitur cod. Alex., ed. Ald. et Compl. — Non parum turbatus est ordo verborum in locis quibusdam Gen. cap. 31. Quae enim in graecis v. 26 leguntur, ἵνατί κρυφῇ ἀπέδρας καὶ ἐκλοποφόρησάς με, ea exacte respondent hebraeis v. 27 למה נחבאת לברח ותגנב אתי; commatis autem 26 verba ותגנב את־לבבי nil habent in graecis, quod vices eorum sustineat. Eadem est ratio vers. 34 coll. v. 35. — Vs. 33 praeterquam quod ἠρεύνησεν e v. 35 conformationis causa inseritur, tantum non omnia verba alium, quam tenent in hebraeis, assignatum sibi habent locum. — Ejusdem cap. comma 48 in graecis prorsus est discissum et in partes longiori intervallo a se invicem remotas disjectum. Nam altera ejus pars: dixerat enim Laban, hic cumulus sit testis inter me et te hodie adnexa est commati 46; altera vero, interjecto tum commate 47, tum longiori additamento (inde a verb. Εἶπε δὲ Λάβαν τῷ Ἰακὼβ usque ἡ στήλη αὕτη), quod glossam sapit, locum suum occupat. — Gen. 34, 23 מקנהם וקנינם וכל־בהמתם τὰ κτήνη αὐτῶν, καὶ τὰ τετράποδα καὶ τὰ

ὑπάρχοντα αὐτῶν. Neminem vel obiter verba haec intuentem fugiet τὰ τετράποδα atque ὑπάρχοντα loca sua permutasse. Nam בהמה frequenter ab interprete redditur τὰ τετράποδα, cf. Gen. 1, 24. Exod. 8, 13. 14 (LXX 17. 18) 9, 9. 10 etc., nunquam τὰ ὑπάρχοντα, quod magis respondet notioni vocis קנין, quod quis sibi comparat, possessio. — Gen. 47, 6 text. hebraei verba, quae inde a וישבו alteram commatis partem constituunt, in graecis loco prorsus alieno collocata apparent, praemissa quippe commati 5, glossemate utrinque ea circumdante. Nam neque verbis Εἶπε δὲ Φαραὼ τῷ Ἰωσήφ, neque his: Ἦλθον δὲ εἰς Αἴγυπτον usque Αἰγύπτου, quidquam respondet in hebraeis. Ordinem textus hebraei, ita ut post Γεσέμ v. 4 omissa interpolatione statim subjungatur comma 5 et 6, sequitur edit. Compl. et Ald. — Exod. 1, 7 ובני ישראל פרו וישרצו וירבו οἱ δὲ υἱοὶ Ἰσραὴλ ηὐξήθησαν καὶ ἐπληθύνθησαν καὶ χυδαῖοι ἐγένοντο. Recte statuit Scharfenbergius (animad. p. 49), verba LXX Intt. turbata ita in ordinem cogenda esse, ut ἐπληθύνθησαν referatur ad וירבו. Nam neque שרץ, ut jam alibi monuimus, unquam ab interprete redditur πληθύνεσθαι et diserte id testantur Theodoreti verba (Quaest. 1. in Exodum) sic in locum nostrum commentantis: χυδαῖοι ἐγένοντο. οὕτως, φησιν, ηὐξήθησαν (פרו), ὡς κατὰ πάσης ἐκείνης ἐκχεθῆναι (ישרצו) τῆς γῆς. Eodem verbo, ἐχέοντο, Aquilam vertisse ישרצו, idem auctor est Theodor. et Procopius. Atque haec grave faciunt momentum ad confirmanda ea, quae ad locos Gen. 8, 17. 9, 7 (cf. §. 10. b.) disputavimus. — Exod. 7, 28 (LXX 8, 3) בתנוריך ובמשארותיך ἐν τοῖς φυράμασί σου καὶ ἐν τοῖς κλιβάνοις σου. Ut graeca respondeant hebraeis, necesse est ordinem illorum invertas sicque restituas. Nam תנור reddi solet κλίβανος, coll. Gen. 15, 17. Lev. 2, 4. 11, 35 etc., משארת autem φυράματα, coll. Exod. 12, 34.

Deut. c. 14 cum Lev. c. 11 conferenti non potest non primo quidem adspectu suspicio oriri de diversis inter-

pretationis conditoribus. Tantae enim sunt differentiae in locis sibi invicem respondentibus, ut jam doctiss. Hodius (de Bibl. Text. orig. Lib. II. c. X.) etiam exinde complura depromeret exempla, quibus ostenderet, non modo diversorum librorum, sed partium etiam diversarum ejusdem libri diversos fuisse interpretes. At accuratius rem mihi intuenti causa illarum discrepantiarum non adeo in interpretum differentia, quam potius in librariorum incuria et socordia, qua factum fuerit, ut ordo verborum mire turbaretur perverteretur-que, posita visa est. Quam sententiam ut argumentis comprobem, exemplorum quaedam ab Hodio prolatorum examini subjicere lubet.

a) ארנבת, inquit, apud Lev. 11, 6 vertitur χοιρογρύλλιος et a lepore distinguitur; sed apud Deut. 14, 7 redditur δασύπους et a choerogryllio distinguitur. Jure vero mireris, quî viro sagacissimo non suboluerit Lev. 11 comm. 5 et 6 loca sua permutasse. Qua permutatione sublata, si χοιρογρύλλιον praemiseris δασύποδι, id quod fit in Ms. Sar. et ed. Compl., omnis tollitur differentia omniaque bene se habent.

b) איה γύψ Deut. 14, 13; ἴκτινος Lev. 11, 14. At priori etiam loco ἴκτινος occurrit, neque quidquam obstat, quin illud ad איה referas, imo favet ipse verborum ordo. Nam videtur mihi interpres ἅπαξ λεγομένῳ ראה (Deut. l. l.), quod fortasse soli permutationi literarum ד et ר originem debet, subjecisse significationem vocis דאה, et utrumque reddidisse τὸν γύπα, quod igitur in graecis recte primum occupet locum, τὸν ἴκτινον autem utroque looo respondere voci איה, atque τὸν ἰξὸν, quam vocem libri quidam ad explendam lacunam Deut. 14, 13 praemittunt, in finem commatis reponendum referendumque esse ad דיה.

c) נץ ἱέραξ Lev. 11, 16; κύκνος Deut. 14, 15. Sed uterque locus mirum quantum turbato verborum ordine laborat. Nam Lev. cap. 11 com. 15ti verba omnem

corvum secundum speciem suam in graecis 16ti occupant locum, sed ita ut ex comm. 16 text. hebr. haec eis adjungantur: et accipitrem (נץ ἱέρακα) secundum speciem suam; quae posteriora e Deut. 14, 15 translata insertaque fuere commati 17. Quare si justum verborum ordinem restituas, quod utroque loco facit edit. Compl., in Deuteronomio consentiente cod. Alex., eadem verba graeca utrobique (Lev. 11, 15. 16. Deut. 14, 14. 15) hebraeis respondebunt.

d) ינשוף, ἶβις Lev. 11, 17; καταῤῥάκτης (in edit. Rom. voci hebraeae respondet potius κύκνος) Deut. 14, 16. Est autem tanto minus dubitandum, posterioris commatis verba turbata et ἶβιν referendum esse ad ינשוף, cum neque καταῤῥάκτης neque κύκνος notionem vocis hebraeae, quae ardeam denotat, exprimat, idem vero ינשוף etiam Jes. 34, 11 reddatur ἶβις, quae bene ab Alexandrino nostro loco reliquis avibus aquaticis jungitur. (Vid. Gesenii Comment. ad Jes. 34, 11.)

Atque eadem procul dubio est ratio aliorum insuper locorum. Quamquam vero facile concedo in reddendis nominibus animalium illorum veras quasdam differentias reperiri, cum tamen certa multorum significatio tam sit vaga et incerta, ut quid singula denotent, injudicatum relinqui debeat, equidem credere malim, eundem potius interpretem de vero verborum sensu dubium varias interpretandi rationes tentasse sibique male constitisse, quam idem cap. 11. Lev. propterea, quod תנשמת v. 18 reddatur πορφυρίωνα, commate autem 30 ἀσπάλαξ, a diversis consutum consarcinatumque fuisse interpretibus.

Integra commata, quae cod. Vatic. loco suo mota exhibet, sunt: Gen. 35, vers. 21, insertus versui 16. Num. 10, 34 in finem cap. translatus; 26, vv. 15 — 18 subnexi sunt versui 27 ac vv. 28 — 43 versui 47. Loca

inter se permutarunt Exod. 20, 13. 14. 15. 21, 16. 17. Deut. 24, 25. 26.

§. 12. *Interpretamenta et emendationes conjecturales.*

Vide Gesenii Comment. de Pent. Sam. p. 29 seq. et 36 seq., ubi etiam reliqua hujus generis exempla consulto a nobis praetermissa accuratius tractantur.

Gen. 3, 17 T. H. maledicta sit terra בעבורך propter te. Quia vero subjungitur fore, ut homini in posterum nonnisi laborando et sudando terrae fructibus vesci liceat, aptior videbatur lectio בעבדיך in operibus tuis, quam Noster cum Sym. Vulg. et uno cod. hebr. tuetur; transfert enim: ἐν τοῖς ἔργοις σου, ita ut sensus, licet parum mutatus, prodeat: maledictam terram operam hominis, quam in ejus culturam collocaturus sit, haud remuneraturam. Eandem lectionis varietatem sequitur Graecus cap. 8, 21.

Gen. 5, 29 alluditur ad etymologiam nominis Noachi נח hisce verbis: זה ינחמנו hic consolatus est nos. Satis quidem, opinor, male. At Graecus etymologiam spectans egregio utitur interpretamento vertens illa: οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς, quasi legisset יניחנו. Dubium autem videri potest, veteribus omnibus cum Hebraeo facientibus, sitne aliam secutus scripturam in codice suo expressam, an ipse textus lectionem correxerit.

Gen. 14, 14 וירק את־חניכיו et eduxit initiatos suos. Insolentior usus verbi הריק, quod de evaginando gladio frequentari solet, causa exstitit lectionis וידק, specie quidem facilitatis concinnitatisque se commendantis, sed propter id ipsum emendationis suspicionem moventis. Cum Nostro facit Samaritanus, verbumque illud, quod in hebraeis inusitatum est, intelligunt e lustrandi notione (ἠρίθμησε), quam tue-

tur in lingua Aramaea. Vid. Gesen. de Pent Sam. p. 64.

Gen. 22, 13 T. H. et sustulit Abrahamus oculos suos et vidit והנה־איל אחר et ecce arietem pone, detentum in fruticeto cornibus suis. Plurimum hic loci difficultatis habet partic. אחר, quae ceteris textus verbis minus convenire videtur, cum exspectasses, arietem Abrahamo potius a fronte quam a tergo occurrisse. Quare alii aliam explicandi rationem ineunt, plerisque veterum (LXX. Sam. Onk. Jon. Syr. Gr. Ven., quibus multi adstipulantur codd. hebr.) loco ita medentibus, ut pro אחר legant אחד. (Vid. Gesen. l. l. p. 63). At bene se habere textum hebraeum ostenderunt Gesenius (Thesaur. s. v.) et Ewaldus (Krit. Gramm. d. hebr. Sprache p. 598. not.) voci אחר adverbii loci significationem vindicantes.

Gen. 24, 33 ויושם לפניו לאכל et apponebatur ei ad comedendum. Forma ויושם a verbo minus usitato ישם = שים, nisi quod alterum intransitivam habet significationem, Samaritanum, quem sequitur Keri, permovit, ut corrigeret ויּשׂם, Nostrum ut substitueret formam Hiph. וַיָּשֶׂם, suppleto לחם: καὶ παρέθηκεν αὐτοῖς ἄρτους φαγεῖν; eademque emendatione uterque succurrit loco Gen. 50, 26.

Gen. 26, 12 text. hebr. ad verbum ita sonat: et sevit Isaacus in terra hac et invenit eodem anno מאה שְׁעָרִים centum mensuras i. e. messem centuplam. Ἅπαξ λεγ. שַׁעַר a verbo שער aestimare, Chald. metiri plerosque veterum (LXX. Syr. Symm. Theod. Onk. in 5 codd. et in ed. Const., consentientibus 5 codd. hebr. et 4 editt.) induxit, ut illud retentis iisdem literis diversis efferrent vocalibus שְׂעֹרִים, sicque faciliorem in locum difficilioris lectionis substituerent. Hinc transfert Noster, sensu quidem haud improbabili: ἑκατοστεύουσαν κριθήν.

Gen. 30, 40 ויתן פני הצאן אל־עקד et convertit faciem ovium ad versicolores. Sensum totius loci impeditissimi optime expedivit Schumannus Pentat. hebraice et graece. V. I. p. 450. Unde efficitur, lectionem masorethicam פְּנֵי, quam Vaterus (Komment. über den Pent. ad h. l.) corruptam pro פְּרִי, coll. Deut. 28, 4 suspicatus est, bene defendi posse. Auctoris vero mente prorsus ignorata, ut sensus qualiscunque prodiret, pro פני Noster conjecit לִפְנֵי, quod Onk. Vulg. et Syr. exprimunt, atque in locum אל cum Sam. substituit איל, sic illa transferens: καὶ ἔστησεν ἐναντίον τῶν προβάτων κριὸν διάλευκον.

Gen. 41, 48 T. H. et collegit omne frumentum septem annorum (sc. fertilium), qui fuerunt היו in regno Aegypti. Graecus cum Sam. pro היו interpretamenti causa expressit היה השבע ἐν οἷς ἦν ἡ εὐθηνία ἐν τῇ γῇ Αἰγ.

Gen. 49, 4 formam עָלָה, quae plurimum negotii fecit interpretibus, cum Syr. Onk. Jon. Saad. ad reliqua textus verba conformando convertit in עלים. Mihi quidem transitus a 2. ad 3. pers. animo loquentis commoto et indignabundo tribuendus verbaque hunc in sensum interpretanda videntur: tunc profanasti lectum meum; utique ascendit! i. e. eo temeritatis processit, ut patris lectum ascendere auderet.

V. 21 נפתלי אַיָּלָה שלחה הנתן אִמְרֵי־שפר Naphthali est cerva gracilis (cf. Prov. 5, 15. 2 Sam. 2, 18, 1 Chron. 12, 8) et exhibet verba pulchritudinis, Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος. Ex qua interpretatione apparet, eum transtulisse אילה atque אמרי, sensu quidem in se spectato haud inepto, non tamen ad reliquas, quibus poëta utitur, imagines et exempla a ferarum natura petita accommodato. cf. v. 9. 14. 17. 22.

V. 23 וימררהו ורבו et exacerbant eum et jaculantur, εἰς ὃν διαβουλευόμενοι ἐλοιδόρουν; expressit

notionem verbi ריב, quod frequenter reddit λοιδορεῖν (vid. locum Exod. 21, 18 §. 15), sive legerit וְרִבֻּן sive ויריבו, Vulg. jurgati sunt, Sam. et vers. Sam. ויריבוהו. Sed multo minus illud convenit in dominos sagittarum s. sagittarios, quorum in sequenti membro mentio fit, quam ipsum jaculari.

V. 25 מאל אביך ויעזרך ואת שדי ויברכך a Deo patris tui, qui te juvabit, et (ab) omnipotenti, qui tibi benedicet. Verborum structura postulat, ut praepos. מן ex antecedentibus ad ואת suppleatur. Atque haec insolentior supplendi ratio causa fuit, ob quam ואת שדי convertebatur in ואל שדי, locutionem frequenter satis obviam; quam lectionem seq. LXX. Sam. et vers. Sam. Syr. Vulg. Saad. et complures codd. hebr.

Exodus 5, 9 T. H. aggravetur opus super viros וְיַעֲשׂוּ־בָהּ וְאַל־יִשְׁעוּ בְּדִבְרֵי־שָׁקֶר et faciant illud et non respiciant ad verba mendacii. Graecus pro ויעשו exprimit וישעו καὶ μεριμνάτωσαν ταῦτα, καὶ μὴ μεριμνάτωσαν ἐν λόγοις κενοῖς, eodemque modo Sam. Syr. Saad. Onk. Jon. Lectio non plane repudianda, quae ratione habita sequentis sententiae orationis contextui apprime convenit.

V. 10 וַיֵּצְאוּ נֹגְשֵׂי הָעָם κατέσπευδον δὲ αὐτοὺς οἱ ἐργοδιῶκται (edit. Ald. addit τοῦ λαοῦ); transtulit autem ויאצו. Sed hic iterum, cum solus Graecus hanc interpretationem tueatur, dubium mihi est, sitne variam secutus lectionem, an deceptus similibus commatis 13 verbis הנגשים אצים, literis transpositis eam expresserit, an sponte suoque arbitratu vulgarem correxerit scriptionem.

Exod. 12, 17 manum emendatricem prodit lectio המצוה, quam sequitur Graecus cum Sam., pro vulgari הַמַּצּוֹת. Cui correctioni locum fortasse dedit frequens usus verbi שמר conjuncti cum nomine מצוה. Sed

Sed desidero nostro loco pron. demonstr. הזאת, quod in hac locutione fere constanter adhiberi solet. Supplet quidem Graecus; caret autem eo Samarit.

Lev. 19, 26 לא תאכלו על־הדם non comedetis (carnem) cum sanguine. Haec Noster transfert: *μὴ ἔσθετε ἐπὶ τῶν ὀρέων*, secutus lectionem על־הרים, quae quidem licet sensum haud ineptum fundat, cum de victimis in locis excelsioribus sacrificandis edendisque, quod hac lege vetetur (cf. Deut. 12, 2), cogitare possis, non est tamen, quod vulgari scriptioni eam cum quibusdam anteferendam censeas. Nam praeterquam quod solius interpretis nostri auctoritate commendatur, non potest non lex, quae sanguinis usum etiam in praecedentibus (cf. Lev. 3, 17. 7, 26. 17, 10 seq.) repetitis vicibus prohibet, nostro quoque capite, quod legum diversissimarum congeriem exhibet, loco satis commodo posita videri. De lectione, quae notatur in scholio edit. Rom., *οὐ φάγεσθε ἐπὶ τοῦ δώματος* (pro quo Drusius legendum conjicit *αἵματος*), quid statuendum sit, vide Scharf. l. l. p. 92 seq.

Num. 16, 15 Moses exacerbatus propter seditionem a Coracho, Dathane et Abiramo motam, coram Deo obtestatur, se ne unum quidem asinum חמור אחד ab iis accepisse, neque ullum eorum malo quopiam affecisse. Graecus cum Sam. consentiente Chald. exprimit lect. חמוד, *οὐκ ἐπιθύμημα οὐδενὸς αὐτῶν εἴληφα*, ut sensus sit, se nil desiderabile ab iis accepisse. Sed bene se habet text. hebr.; est enim illa proverbialis loquendi ratio, qua significatur, Mosem ne hilum quidem exegisse ab ipsis, se ne in minimis quidem eos laesisse.

Num. 21, 28 אכלה ער מ׳אב בעלי במות ארנן absumit (ignis) Arem Moabitarum, dominos excelsorum Arnonis i. e. eos, qui loca excelsa ad Arnonem incolunt. Videtur interpretem parallelismus

membrorum induxisse, ut pro בעלו substitueret בלעה (cf. Num. 16, 30. 32. 34); quod enim si fiat, ut in priori commatis parte duo nomina (אש et להבה), sic in posteriori duo verba (אכלה et בלעה) sibi invicem respondebunt. Hinc illa transfert: καὶ κατέφαγεν ἕως Μωὰβ, καὶ κατέπιε στήλας Ἀρνῶν. Veterum tamen neminem in hac lectionis varietate consentientem habet.

Num. 23, 10 T. H. Quis metiatur pulverem Jacobi, ומספר את־רבע ישראל et numeret multitudinem Israëlis? Durior, neque tamen infrequens, praesertim in sublimiori scribendi genere, est illa verborum componendorum ratio, qua nomen (מספר) verbi accusativum regentis potestatem sibi vindicat. (Conf. Gesen. Lehrgeb. §. 190.) Perperam igitur multi את pro nota Genitivi habuere, cum omnes loci hunc in finem laudati (Num. 10, 2. Deut. 11, 22. Jes. 11, 9. Hab. 3, 13) eandem, quam dedimus, interpretandi rationem patiantur, sensumque hoc modo constituere: et numerum quartae partis populi Israëlitici. Noster autem, consentt. 4 codd. Sam., exprimit lectionem ומי ספר καὶ τίς ἐξαριθμήσεται δήμους Ἰσραήλ; quae quibusdam propter structurae concinnitatem, qua prae altera se commendat, membrorumque aequalitatem, quae versui inde paratur, adeo perplacuit, ut scriptioni vulgo receptae eam anteferre haud dubitarent. Neque tamen firmiter obstiterim, si quis contendat, interpretem nostram lectionem secutum paulo liberius hebraea reddidisse.

Locum plurimum vexatum vexantemque Num. 24, 24 וְצִים מִיַּד כִּתִּים et naves (venient) de parte Chittaeorum, Noster ita tractat, ut consentiente uno cod. Sam. pro וצים legat ויצאים transferatque: καὶ ἐξελεύσεται (cod. Alex. in charactere minore: ἐξελεύσονται) ἐκ χειρῶν Κιτιαίων. Samarit. impressus pro eo habet ויציאם educet eos et alius cod. מוציאם. Quae lectionum varietas tanto magis probat, emendationibus conjectu-

ralibus verba a diversis diverse fuisse tentata. Fraudi ipsis haud dubie fuit insolentior forma צים pro צִיִּים coll. Dan. 11, 30, a sing. צִי navis, cf. Jes. 33, 21.

Deut. 32, 43 הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ laudate gentes populum ejus, *εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ.* Haud scio, diversamne a vulgari Noster expresserit lectionem, an conjectura usus verba ita transtulerit, ut legisse videatur עִמּוֹ vel אֶת־עַמּוֹ. Conf. Rom. 15, 10. —

Tametsi ex iis, quae hactenus disputavimus, sponte consequitur, plerasque, quas textus graecus contra hebraeum tuetur, lectionum varietates ita esse comparatas, ut in crisi exercenda textuque hebraeo ad pristinam suam integritatem revocando non multum ponderis tribui iis queat, fieri tamen potuit, ut in hac variarum lectionum segete, parum quidem ea laeta et felici, etiam boni quid reconditum lateret, quodque verum praestaret usum. Illis vero locis, in quibus textus graecus cum hebraeo merito de palma contendit, imprimis adnumerandum ducimus Gen. 49, 26, ubi pro הוֹרַי עַד recte Noster diversos ab masorethicis tam accentus, quam puncta secutus transfert *ὀρέων μονίμων*, הוֹרֵי־עַד = הררי Deut. 33, 15, ni statuere velis, vulgarem scripturam Syriacam induisse formam, quamvis minus ea aetati auctoris Geneseos conveniat. Vid. Gesenii Comm. de Pent. Sam. p. 33.

Magna veri specie se commendat quoque Gen. 10, 4 lectio רודנים, quam tuentur Graecus et Sam. locusque parallelus 1 Chron. 1, 7, pro דדנים. Cum enim eodem loco Cypriorum כתים fiat mentio, haud incommode Graeco praeeunte cogitaveris de Rhodiis, quos auctor illis junxerit.

§. 13. *Lectionum varietates a Judaeorum commentis et opinionibus religionem spectantibus profectae.*

Quemadmodum manifestum est studium scriptorum judaicorum serioris aetatis, quidquid Polytheismum redolet, sollicite vitandi atque ex hac lege antiquiorum locos, quos suum in usum convertunt, corrigendi (1 Chron. 17, 21 coll. 2 Sam. 7, 23. Nehem. 9, 18 coll. Exod. 32, 4. 8): eundem in modum Graecus et Samaritanus quasdam exhibent lectionum varietates, simili a studio profectas. Nam quibus in locis אלהים plurali junctum reperitur (cf. Gen. 20, 13. 31, 53. 35, 7. Exod. 22, 9 [al. 8.]), constanter uterque simplicitatis substituit numerum, nec nisi specie repugnant huic Monotheismi puri castique conservandi studio interpretis nostri verba Exod. 22, 27 (LXX 28): θεοὺς οὐ κακολογήσεις, cum hic loci nomen אלהים non secus intellexerit ac c. 21, 6, ubi אל־האלהים transfert πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ θεοῦ. Ex falsa quippe, quam veteres sibi persuaserunt, opinione, cui vero et recentiorum quidam adstipulati sunt, אלהים interpretatur m a g i s t r a t u s. Vide hac de re Gesenii Thesaur. Tom. I. p. 96. — Studiose praeterea atque data opera tam Graecus quam Sam. devitat anthropopathismos et anthropomorphismos, qui supremi numinis majestati dignitatique detrahere videbantur. Atque hac de causa factum esse crediderim, ut quemadmodum Samar. Num. 22, 20. 23, 4. 5. 26, ita Noster Exod. 4, 24 in locum Jehovae a n g e l u m Dei substitueret, haud dubie eo offensus, quod Jehova ipse Mosi in taberna, in quam hic iter faciens diverterat, occurrisse eique necem intentasse perhibeatur. — Exod. 24, 9. 10 refert auctor, Mosem cum Aharone, Nadabo, Abihu et 70 senioribus D e u m c o n s p e x i s s e, cum tamen ea fuisset Judaeorum opinio, conspectum Dei mortem ho-

mini consciscere. Cf. Gen. 16, 13. 32, 30. Exod. 33, 20. Jud. 13, 22. Hinc pro verbis et viderunt Deum Israëlis, Noster substituit et viderunt locum, ubi steterat Deus; commatis autem 11 verba וַיֶּחֱזוּ אֶת־הָאֱלֹהִים transfert: καὶ ὤφθησαν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ θεοῦ (וַיֵּחָזוּ). — Exod. 15, 3 Jehova vocatur איש מלחמה vir belli, quod veriti, ne in praejudicium dignitatis suae diceretur, Graecus vertit κύριος συντρίβων πολέμους, Samarit. corrigit גבור מלחמה. — Deut. 29, 19 (LXX 20) pro יעשן אף־יהוה fumat nasus Dei, uterque exprimit lect. יחר אף־ ἐκκαυθήσεται ὀργὴ κυρίου. — Lev. 26, 33 auctor Jehovam his verbis Israëlitis minitantem inducit: et dispergam vos inter gentes et evaginabo post vos gladium; pro quibus Noster: καὶ ἐξαναλώσει ὑμᾶς ἐπιπορευομένη ἡ μάχαιρα. — Gen. 19, 16 in locum אנשים de angelis usurpati Graecus et Sam. ipsos reponunt angelos מלאכים. — Deut. 32, 8 Text. hebr. haec habet: Quum sedes suas assignaret Altissimus gentibus, quum separaret homines, constituit terminos populorum למספר בני ישראל pro numero filiorum Israël; Graecus: κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. Veri multo similius est, interpretem ex illa Judaeorum serioris aetatis opinione, qua Deus in divisione populorum singulis populis et regionibus numen quoddam tutelare praefecisse, populum autem Israëlit. sibi ipsi tanquam peculium attribuisse credebatur (coll. Ecclesiastic. 17, 15), textus verba emendasse quam variam expressisse lectionem (בני אל), quae Cappelli erat sententia. Ostendit Hodius (de Bibl. Text. orig. p. 124 seq.) talem Aegyptiis fuisse opinionem, a quibus eam mutuati sint Judaei. —

Non fuerit ab re alienum, hic etiam loci illius celebratissimi Gen. 49, 10, quem Noster cum plerisque veterum de Messiae adventu interpretatur, mentionem inferre. Habet enim: ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα

ἀυτῷ (ᾧ ἀπόκειται 15 codd., Alex. in char. min., Aquila et Sym.) καὶ αὐτὸς προςδοκία ἐθνῶν· quasi שלה compositum esset ex ,שׁ = אשר et לה = לו; יקהת vero propter soni similitudinem confudisse videtur cum חקות, ignorans veram vocis, quae bis tantum occurrit (cf. Prov. 30, 17), significationem obedientia. Neque melius Aquila: καὶ αὐτῷ σύστημα λαῶν. Recte ad verbum Gr. Ven. καὶ αὐτῷ ὑπακοὴ λαῶν· sensum reddit Onk. et ei obedient populi. *)

§. 14.

Actum agere viderer, si illos locos retractarem, in quibus verba quidem plana sunt et facilia, sed sententia aliquid offensionis habuisse videtur; de quibus, cum Samaritanorum quoque ingenia in hujus generis difficultatibus removendis sese exercuerint, accuratius egit Gesenius in Comm. de Pent. Sam. p. 48 seq. Quare unum tantum habeo, quod supplementi instar addam. Gen. quippe cap. 49, 28 peccatum est in ratione temporis; dicitur enim de filiis Jacobi: omnes hae tribus Israëlis duodecim, quasi jam tum temporis tribus constituissent, in quarum igitur locum Graecus filios Jacobi 12 supponit.

Quod Schumannus Pentat. Hebr. et Graec. Vol. I. p. 213 observat, scilicet apud LXX Eberi annos cum Schelachi annis comparatos illorum consilio, aetatis annos decurtandi, ut efficiatur lentum atque aequabile vitae decrementum, non plane respondere, id niti videtur sphalmate typographico, quod, nescio quî, non modo in tabulas genealogicas, quas exhibuere Vaterus (Comment. über d. Pent. T. I p. 174) et Jahnius (Bibl. hebr. T. I p. 25), verum et in illam, cujus ipse Schumannus est auctor, irrepsit. Nam Gen. 11, 15 legitur in cod. tam Vatic.

---

*) Theologiae judaicae serioris aevi vestigia ab interprete Pentateuchi translationi impressa produnt etiam δαιμόνια, in locum τῶν שדים Deut. 32, 17 substituta, nec non Deut. 33, 2 ἄγγελοι (אש דת), quos Jehovae comites facit.

quam Alex., Selam post generationem filii vixisse 330 annos, qui si addantur 130 annis, quos secundum LXX ante generationem vixit, prodeunt 460, atque omnia bene se habent. At tabulae illae pro 330 annis exhibent 230, atque haec res causa fuit erroris. Excitat quidem Lamb. Bos in sua τῶν ὁ edit. e Ms. Cot. et Ox. variam lectionem διακόσια pro τριακόσια, quam in ipsa edit. Holm. desideravi. Quod autem ad discrepantiam cod. Alex., edit. Compl. et Ald. a codice Vatic. in exhibendo annorum numero, quos Eber post generationem vixit, attinet (pro 270 annis numerantur in illis 370), propter id ipsum, quod in annorum summa sensim minuenda plane sibi constantem videas interpretem, minus illi tribuendum censeo ponderis, quam vulgari graeci textus lectioni.

§. 15. *Exempla quaedam textus editionis Complutensis ad hebraeum conformati.*

Gen. 3, 15 pro hebr. שׁוּף, quod hic bis occurrit, recte cod. Vatic. habet τηρήσει et τηρήσεις· significat enim שׁוּף aeque ac שָׁאַף inhiare, insidiari alicui et conferri potest Arabico شاف, conj. V. ex alto prospexit, observavit, VIII. elato capite spectavit, quocum plane convenit τηρεῖν, quod nostro loco de insidiose observando recte interpreteris. Lectio autem edit. Compl. τειρήσει et τειρήσεις (= τερήσει, τερήσεις) correctoris prodit manum, qui vera vocis significatione male intellecta, textus emendatione graeca cum hebraeis conciliare conatus est. — 15, 15 lectio τραφεὶς pro ταφεὶς תִּקָּבֵר inveteratum est mendum, quod in omnes codd. et editt. praeterquam Compl. irrepsit. — 37, 2 T. H. et retulit וַיָּבֵא Josephus malam eorum famam ad patrem eorum; LXX: detulerunt κατήνεγκαν autem Josephum crimine malo cet.; ed. Compl. κατήνεγκεν. Vid. Scharf. p. 37. — 46, 29 κλαυθμῷ πίονι (וַיֵּבְךְּ עוֹד) vitium scriptionis est pro πλείονι, quam lectionem tuentur ed. Compl. Ald. cod. Alex. Cat. Nic. Vid. Scharf. p. 45. — 50, 18 οἴδε ἡμεῖς (הִנֶּנּוּ) libra-

riorum culpa depravatum videtur ortumque ex Itacismo, pro ἴδε, quae est lectio ed. Compl. Conf. Exod. 8, 25 (LXX v. 29) et ad h. l. Scharf.; 17, 6. Num. 14, 40. — Exod. ·, 28 האתת τὰ ῥήματα, ed. Compl. Ald. cod. Alex. σημεῖα. Vid. Scharf. p. 56. — 21, 18 וכי־יריבן אנשים et si rixati fuerint viri, cod. Vat. ἐὰν δὲ λοιδορῶνται cet. Atque hanc genuinam et unice veram graeci textus lectionem esse, dubitare nos vetat frequens usus verbi illius in convertendo ריב, cf. Gen. 49, 23. (vid. h. l. §. 12.) Exod. 17, 2. Num. 20, 3. 13. Deut. 33, 8. Sola Complut. edit. exhibet Aquilae interpretationem διαμάχωνται, utpote nostro loco magis consonam hebraeo. — 25, 7 coll. 35, 9 spuria videntur esse verba τὸν ποδήρη, quae nunc quidem in cod. Vatic. respondent nomini חשן; omnibus enim caeteris locis vox hebraea redditur λογεῖον, eandemque scripturam 35, 9 ed. Compl. commendat. — 26, 18 נגבה תימנה Βοῤῥᾶν, ed. Compl. Νότον. Vs. 20 צפון Νότον, ed. Compl. Βοῤῥᾶν. — Lev. 26, 36 מרך δουλείαν, ed. Compl. δειλίαν. Vid. Scharf. p. 103 et notam L. Bos. — Num. 7, 88 אחרי המשח אתו μετὰ τὸ πληρῶσαι τὰς χεῖρας αὐτοῦ, καὶ μετὰ τὸ χρῖσαι αὐτόν. Edit. Compl. pro αὐτόν legit αὐτό atque priorem sententiam plane omittit. Vid. Scharf. p. 105. — Num. 23, 19 לא איש אל ויכזב non homo est Deus, ut mentiatur, οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς διαρτηθῆναι. Recte Scholion edit. Rom.: διαρτηθῆναι, τουτ' ἔστι, σαλευθῆναι· τὰ γὰρ κρεμάμενα σαλεύονται. Atque haec verbi interpretatio cum alteri commatis parti, tum voci hebraeae magis congrua est quam alia, qua illud redditur ut decipi possit, notione petita a verbo ἐξαπατῆσαι (vid. Scharf. p. 116. L. Bos. Prolegg. in LXX c. 3 et notam ad h. l.). Cum enim ex auctoris mente Deus non hominis instar dicta promissaque sua negligere et revocare, sed firmiter illis stare, neque humanae mentis inconstantia et mutabilitas in divinam cadere dicatur voluntatem, eundem plane sen-

sum, quin tamen orationem hebraeam premeret, etiam interpretem nostrum secutum atque hanc verbis ejus sententiam subesse putamus: Non quasi homo Deus suspenditur s. fluctuat, non quasi filius hominis minis commovetur; quaecunque dixerit, ea facturus est, quod loquetur, in eo perstabit. Concinnator autem textus Complut. in locum τοῦ διαρτηθῆναι ipsum supponit διαψεύσεσθαι, quod reliquis interpretibus tribuitur. — Deut. 12, 12 Levita, qui est in portis vestris, בשעריכם ἐπὶ τῶν πυλῶν ὑμῶν, ed. Compl. πόλεων. Specie tantum lectio vulgaris magis cum hebraeo convenit quam Complut.; nam ex Nostri interpretandi raratione vox שער, ubi pro urbe ipsa posita est, frequentissime redditur πόλις· cf. v. 15. 17. 18. 21. 14, 21. 27. 28. 29. Gen. 22, 17. 24, 60 etc. Vid. Trommii Concord. s. v. et §. 17. Atque hinc luculenter patet, lectionem ed. Compl., quod ad interpretis quidem mentem attinet, voci hebraeae hic loci magis esse consonam. — 32, 11 super pullos suos volitat, ירחף ἐπεπόθησε, ed. Compl. ἐπεπότησε. Vid. Scharf. p. 139. — V. 23 אכלה συμπολεμήσω, ed. Compl. Ald. cod. Alex. συντελέσω. — 33, 9 לא ידע ἀπέγνω, ed. Compl. οὐκ ἔγνω. — V. 28 עין ἐπὶ γῆς, ed. Compl. πηγῆς. —

Pars II.

De indole interpretationis hermeneutica.

§. 16. *Interpretatio ad verbum facta.*

Ea interpretis nostri est hebraea graece convertendi ratio, ut, quamvis procul absit ab Aquilae illius anxietate verborumque consectatione, quamvis scribendi genus, quo utitur, non careat venustate sua et elegantia, neque desint loci, quos amplificando et velut per circuitus et ambages reddat, plerumque tamen presso pede suum sequatur ducem, neque praeter ne-

cessitatem longius ab eo digredi amet. Quod cum de omnibus Pentateuchi libris in universum, tum de Levitico imprimis statui posse si contendam, a vero haud aberrare me crediderim. Causa vero hujus rei posita cernitur in ipsa dictione hebraea, quae hic multo est planior et facilior sibique magis constat, cum idem semper quasi orbis verborum ac sententiarum in describendis sacrificiis, quae potiorem hujus libri partem explent, recurrat. Nam quibus in locis alibi interpres non verba, sed sensum reddit, vel prorsus ab Hebraeo dissentit, ii maximam partem ita sunt comparati, ut vel perspicuitatis studio ductus vel verborum difficultate lapsus justo liberius interpretis munere fungeretur. Cum vero hac de re propria quemvis lectio continuo instituta optime docere possit, supersedendum duco ulteriori ejus probatione, adque alia accedo.

§. 17. *Perspicuitatis studium.*

Ingens, cui totus Noster indulget, perspicuitatis studium in causa est, quod non modo orationem hebraeam variis additamentis et amplificationibus illustrat (vid. §. 9.), verum etiam verba impropria et translata ac poëtico quodam ornatu distincta propriis et vulgaribus prosaeque orationi magis convenientibus reddit atque pro abstractis, ubi ea concretorum notionem involvunt, concreta ipsa substituit, nec non ea, quae in hebraeis generatim ac vage dicta sunt, definite magis enunciat angustioribusque limitibus comprehendit. Exemplorum affatim graeca translatio legenti suppeditat, ex quibus sequentia sufficiant.

a) *Verba impropria reddit propriis.*

Gen. 3, 8 לרוח היום ad ventum diei i. e. circa tempus venti vespertini. Graecus ipsam ponit ve-

speram, τὸ δειλινόν (suppl. μέρος ἡμέρας vel κατ' ἦμαρ δειλινόν). — In convertenda locutione התהלך את־(לפני) האלהים ambulare cum (coram) Deo i. e. complacere Deo per vitae suae probitatem et sanctitatem, fere constanter proprio utitur verbo εὐαρεστέω. Cf. Gen. 5, 22, 24. 6, 9. 17, 1. 24, 40. 48, 15. — 16, 2 אולי אבנה ממנה fortasse aedificabor ab ea i. e. per eam liberi mihi procreabuntur, ἵνα τεκνοποιήσωμαι ἐξ αὐτῆς. Cf. 30, 3. — 16, 12 et ipse erit onager inter homines, פרא אדם (vid. Gesen. Lehrgeb. S. 678) ἄγροικος ἄνθρωπος. — 18, 1 כחם היום Vulg. in ipso fervore diei, μεσημβρίας. — V. 5 סעדו לבכם fulcite cor vestrum, φάγεσθε. — 41, 40 על־פיך ישק כל־עמי super os tuum osculetur universus populus meus; recte Graecus: ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου. — 43, 11 זמרת הארץ canticum terrae Hebraeus vocat fructus terrae laudibus celebratissimos, adeoque praestantissimos; Noster: τῶν καρπῶν τῆς γῆς. — 44, 21 ואשימה עיני עליו et ponam oculum meum super eum i. e. propitius ei ero, καὶ ἐπιμελοῦμαι αὐτοῦ. — 49, 3 ראשית אוני principium roboris mei i. e. primogenitus meus, ἀρχὴ τέκνων μου. Cf. Deut. 21, 17. — V. 10 T. hebr. non recedet sceptrum שבט a Juda, neque scipio מחקק a pedibus ejus, οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ. — 50, 4 בית פרעה de aulicis Pharaonis usurpatum apposite ad sententiam loci vertit τοὺς δυνάστας Φαραώ. — Exod. 11, 8 verba כל־העם אשר־ברגליך omnis populus, qui in pedibus tuis recte interpretatur: πᾶς ὁ λαός σου οὗ σὺ ἀφηγῇ. — 15, 8 בלב־ים in corde maris, ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης. — 22, 28 (LXX 29) מלאתך ודמעך ad verbum: plenitudinem tuam et lacrymas tuas i. e. primitias areae tuae et torcularis tui, ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ ληνοῦ σου. — Lev. 20, 5 כל־הזנים אחריו omnes fornicantes post ipsum, πάντας τοὺς ὁμονοοῦντας αὐτῷ. — Saepe ta-

men, ut in fine comm. nostri, ipsum adhibet verbum ἐκπορνεύειν sensu improprio; cf. v. 6. Exod. 34, 15. 16 etc. — 26, 26 בשברי לכם מטה־לחם quum fregero vobis scipionem panis (cf. Gen. 18, 5. Ps. 105, 16. Ezech. 4, 16), ἐν τῷ θλίψαι ὑμᾶς σιτοδείᾳ ἄρτων. — Num. 10, 31 והיית לנו לעינים et eris nobis oculorum instar i. e. ducem itineris te nobis praebebis (cf. Job. 29, 15), καὶ ἔσῃ ἐν ἡμῖν πρεσβύτης. — 14, 9 סר צלם מעליהם recessit umbra eorum ab ipsis i. e. praesidio suo destituti sunt; ἀφέστηκε γὰρ ὁ καιρὸς ἀπ' αὐτῶν, ubi καιρὸς tempus opportunum, quo res prospere cedunt, denotare videtur. — 18, 12. T. H. pinguedo (חלב) olei et pinguedo vini; LXX: ἀπαρχὴ ἐλαίου, ἀπαρχὴ οἴνου. — 24, 7 יזל־מים מדליו וזרעו במים רבים Vatablus: „defluet aqua e situla ejus, erit foecundus, multos procreabit liberos; et semen ejus erit in aquis multis, germinabit et capiet magnum incrementum, quemadmodum et semina in locis humentibus;" ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ, καὶ κυριεύσει ἐθνῶν πολλῶν. — V. 17 surget sceptrum שבט ex Israële, ἀναστήσεται ἄνθρωπος ἐξ Ἰσρ. — Ibid. פאתי מואב latera, regiones Moabi; haec Noster cum multis aliis improprie dicta ratus transfert ἀρχηγοὺς Μωάβ. Vide similem metaphoram Matth. 21, 42. Ephes. 2, 20. 1 Petr. 2, 6. — Deut. 3, 18 כל־בני־חיל omnes filii roboris, πᾶς δυνατός. — 13, 17 (LXX 16) והיתה תל עולם et sit (urbs) tumulus in aeternum, καὶ ἔσται ἀοίκητος. — 25, 2 בן הכות filius plagarum, ἄξιος πληγῶν. — 32, 11 portat eum super alas suas, על־אברתו ἐπὶ τῶν μεταφρένων αὐτοῦ. — Nomen צור de Deo usurpatum constanter transfert θεός; cf. Deut. 32, 4. 15. 18. 30. 31. —

Interdum tamen ipsas locutiones improprias et metaphoricas suas facit easque verbo tenus graece reddit; e. gr. Gen. 26, 19 invenerunt ibi puteum aquae vivae, מים חיים ὕδατος ζῶντος. — 49, 23 בעלי חצים

domini sagittarum, i. e. sagittarii, κύριοι τοξευμάτων. — Deut. 32, 14 עם־חלב כליות חטה ודם־ענב cum adipe renum tritici et sanguinem uvarum (bibisti), μετὰ στέατος νεφρῶν πυροῦ, καὶ αἷμα σταφυλῆς. — V. 24 זחלי עפר repentes in terra i. e. serpentes, συρόντων ἐπὶ γῆν. — V. 41 ותאחז במשפט ידי et prehendet judicium manus mea, καὶ ἀνθέξεται κρίματος ἡ χείρ μου. — 33, 12 ובין כתפיו שכן et inter humeros (montes) ejus habitet, καὶ ἀναμέσον τῶν ὤμων αὐτοῦ κατέπαυσε. — V. 17 בכור שורו הדר לו primogenitus est ejus bos, pulchritudo ei est, πρωτότοκος ταύρου τὸ κάλλος αὐτοῦ.

b) Pro abstractis ponit concreta orationemque hebraeam verba aptiora eligendo magis definit et illustrat.

Gen. 2, 18 Adami uxorem Hebraeus auxilium (עֵזֶר) ejus vocat, Graecus βοηθόν. — 12, 2 T. H. magnum faciam nomen tuum et eris benedictio, ברכה. Recte Graecus: καὶ ἔσῃ εὐλογημένος. — Exod. 15, 2 עזי וזמרת יה laus mea et canticum est Jehova, βοηθὸς καὶ σκεπαστής. — Lev. 19, 32, T. H, coram canitie (שיבה) surges, ἀπὸ προσώπου πολιοῦ ἐξαναστήσῃ. — Num. 3, 32 פקדת שמרי משמרת הקדש praefectura i. e. praefectus custodientium custodiam sanctuarii. Noster paulo liberius: καθεσταμένος φυλάσσειν τὰς φυλακὰς τῶν ἁγίων. — Deut. 21, 23 קללת אלהים תלוי maledictio Dei est suspensus, κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος. — 32, 38 sit super vos protectio, סתרה σκεπασταί. — Gen. 40, 13 et restituet te in locum tuum, על־כנך ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν σου. — V. 14 fac, ut exeam e domo hac, מן־הבית הזה ἐκ τοῦ ὀχυρώματος τούτου. — Exod. 21, 26 si quis percusserit oculum servi sui et laeserit eum, ושחתה ἐκτυφλώσῃ. — Deut. 15, 14 dabis ei de area tua et de torculari tuo; Graecus: de frumento tuo et de vino tuo. —

28, 30 vineam plantabis et non profanabis eam i. e. fructus ejus non percipies, ולא תחללנו *καὶ οὐ μὴ τρυγήσεις αὐτόν.* Cf. 20, 6. — 28, 20 et immittet tibi Jehova את־המארה את־המהומה ואת־המגערת maledictionem, terrorem et exsecrationem; Noster effectum substituit pro causa: *τὴν ἔνδειαν καὶ τὴν ἐκλιμίαν καὶ τὴν ἀνάλωσιν.* — 32, 10 בתהו ילל ישמן in deserto ululatus, in solitudine, *ἐν δίψει καύματος ἐν γῇ ἀνύδρῳ.* — V. 11 sicut aquila nidum suum excitat יעיר; Graecus imaginem magis usitatam substituit vertitque *σκεπάσαι.*

§. 18. *Castitatis humanitatisque studium.*

Quemadmodum ea, quae supremi numinis dignitati minus convenienter dicta visa sunt, reverentia illius atque religione ductum sollicite vitare Graecum nostrum jam in superiori disputationis parte vidimus: sic etiam loci quidam, qui propter laesam vel castitatem vel humanitatem aliquid offensionis habebant, ita conversi ab eo leguntur, ut verba minus honesta cum honestioribus commutet atque duritiem quarumdam locutionum lenioribus formis loquendi mitiget. Ex hoc genere sunt: Deut. 23, 14 (LXX 13) צאה excrementa, *ἀσχημοσύνη.* — 28, 30 ואיש אחר ישגלנה si vir alius eam stupraverit, *καὶ ἀνὴρ ἕτερος ἕξει αὐτήν.* — Lev. 18, 25. 28 et evomuit ותקא terra habitatores suos, *προσώχθισεν ἡ γῆ τοῖς ἐγκαθημένοις ἐπ' αὐτῆς.* — Num. 25, 4 Moses suspendere jubetur Israëlitas, qui a Moabitis et Midianitis ad idololatriam induci se passi sunt. Graecus poenae severitatem ita lenit, ut pro הוקיע, quod de iis usurpari solet, qui ob crimina commissa palo erant affigendi (*ἀνασκολοπίζειν*), substituat *παραδειγματίζειν.* — Deut. 7, 16 et devorabis ואכלת omnes populos, *καὶ φαγῇ πάντα τὰ σκῦλα τῶν ἐθνῶν.*

§. 19. *Nomina propria indicandae originis suae gratia conversa.*

Est interpretis nostri consuetudo, ut ubicunque Hebraeus originem nominum quorumdam locis vel personis inditorum indicat, quo magis ea in interpretatione reddatur perspicua, ipsa nomina propria graece convertat. Atque ab hujus generis exemplis probe distinguenda sunt illa, in quibus propria nomina cum appellativis confundit; quod quidem frequenter satis Nostro accidisse, alio loco, ubi de variis ejus hallucinationibus dicendum erit, videre licebit, nunc ad priora illa revertamur.

Gen. 3, 20 Evam חוה narrat auctor inde suum traxisse nomen, quod mater fuerit omnium viventium, כל־חי. Hinc Graecus: et vocavit Adam nomen uxoris suae Ζωή, ὅτι μήτηρ πάντων τῶν ζώντων. — 11, 9 nomen urbis בבל Hebraeus deducit a בלל συνέχεε, quod Deus ibi confuderit linguas; hinc Nostro audit Σύγχυσις. — 26, 20 lites inter pastores Abimelechi et Isaaci nomen dederunt puteo עֵשֶׂק (a verb. עשק Hithp. litigare) Ἀδικία, ἠδίκησαν γὰρ αὐτόν. Vide §. 6. Simili de causa alius puteus v. 21 appellatur שטנה (a שטן) Ἐχθρία; tertius vero v. 22, de quo nullae amplius lites ortae, רחבות (spatia, a רחב Hiph. loco cedere alicui) Εὐρυχωρία. Ejusdem cap. v. 33 e foedere, quod Abimelechus et Isaacus sibi invicem jurarunt, ducitur nomen tum putei שִׁבְעָה, quod recte Graecus interpretatur Ὅρκος (שְׁבֻעָה), tum urbis באר שבע Φρέαρ ὅρκου. — 28, 19 Jacobus locum illum, in quo somnianti ei divini numinis species offertur, vocat בית־אל Οἶκος θεοῦ, nam, inquit (vers. 17), nihil est hic locus nisi domus Dei. Idem alias redditur Βαιθήλ, cf. 35, 7. 15, nec non τόπος θεοῦ, cf. 31, 13. — 31, 47 Laban Aramaeus Aramaicum imponit nomen acervo illi, juxta quem foedus iniit cum Jacobo vocat-

que יגר שהדותא Βουνὸς τῆς μαρτυρίας· Jacobus Hebraeus hebraeo nomine compellat גלעד Βουνὸς μάρτυς. Eundem acervum vers. 49 vocat המצפה ἡ ὅρασις, dixit enim: יצף יהוה ביני ובינך ἐπίδοι ὁ θεὸς ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ σοῦ. — 32, 3 (LXX. 2) מחנים Παρεμβολαί est nomen urbis appellatae a turma angelorum, מחנה אלהים παρεμβολὴ θεοῦ, quam hic Jacobus vidit. Ejusdem cap. vers. 31 (LXX. 30) tradit auctor, locum פניאל (facies Dei) inde cognominatum fuisse, quod hic de facie Deus Jacobo spectandum sese obtulerit Hinc Graecus: et vocavit Jacobus nomen illius loci Εἶδος θεοῦ· εἶδον γὰρ θεὸν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. — Cap. 33, vers. 17 text. hebr. haec habet: Jacobus vero profectus est Succotham et aedificavit sibi domum, pecori autem suo fecit tuguria סכת; propterea vocavit nomen illius loci סכות. Noster: Σκηναί. — Cap. 35, 8 quercus, sub qua Debora sepulta fuit, nomen gerit אלון בכות (quercus fletus), Βάλανος πένθους. — 50, 11 אבל מצרים (pratum Aegypti), Πένθος Αἰγύπτου, nomen areae ad Jordanem sitae, a luctu (אבל πένθος) Aegyptiorum appellatae. — Exod. 15, 23 puteus Mara מרה inde suum fertur accepisse nomen, quod aqua ejus amara מרים πικρὸν fuerit; hinc graece audit Πικρία. Cf. Num. 33, 8. Hebr. 3, 8. 15. — Exod. 17, 7 מסה ומריבה Πειρασμὸς καὶ Λοιδόρησις, nomina loci, ad quem Israëlitae propter penuriam aquae tumultum ciebant, a jurgio (ריב λοιδορία) et tentatione (נסה πειράζειν) appellati. Cf. Deut. 33, 8. Huic gemina est denominatio aquae illius, quam Moses ad concitatos populi animos placandos ictu e saxo elicuit, Num. 20, 13 מי מריבה ὕδωρ Ἀντιλογίας, vers. 24 τῆς λοιδορίας. — Num. 11, 3. Deut. 9, 22 תבערה Ἐμπυρισμός, locus in deserto, cui nomen impositum fuit ab igne Dei, qui hic exarsit (בער) castraque populi consumsit. Vers. 34 קברות התאוה Μνήματα τῆς ἐπιθυμίας, nomen loci in deserto, ubi

ubi lues in populo carnes concupiscente (המתאוים τὸν λαὸν τὸν ἐπιθυμητήν) grassabatur. — Num. 13, 25 vallem illam, unde Judaeorum exploratores in regionem Canaan missi uvas exscindebant, Hebraeus vocat נחל אשכל, Graecus: Φάραγξ βότρυος.

§. 20. *Variae interpretis hallucinationes.*

Quantacunque sit interpretis nostri judaicae linguae cognitio et hebraea graece reddendi dexteritas, ita ut Pentateuchi translationi a viris doctis omnium temporum prae reliquis veteris Foederis libris graece conversis merito palma fuerit adjudicata: haud raro tamen in manifestos incidere eum errores et hallucinationes bono interprete indignas, inque vocum significatu rite constituendo labi et contra rationes tam grammaticas quam etymologicas graviter peccare observas. Exempla rem illustrabunt.

α) Appellativa confundit cum nominibus propriis.

Gen. 5, 2 orationis sententia אדם reddi jubet homo vel homines; tradit enim auctor, virum et feminam, qui recens erant creati, hominum nomine a Deo fuisse insignitos. Hinc male Graecus ipsum nomen Ἀδὰμ retinuit. Cf. Deut. 32, 8. — 15, 2 ובן־משק ביתי et filius possessionis domus meae (vid. Gesenii Lex. ed. 3. p. 506.); ὁ δὲ υἱὸς Μασὲκ τῆς οἰκογενοῦς μου. — 28, 19 haec est verborum sententia: et vocavit nomen loci illius Bethel, erat autem Lus ואולם לוז nomen illius urbis antea. (Vid. Gesenii Thesaur. T. I. p. 43.) Conjunctionem אולם Graecus transfert Οὐλαμ, quod cum sequenti nomine urbis in unam vocem coaluit, Οὐλαμλούζ. Vide locum simillimum Jud. 18, 29, ubi אולם ליש transfertur Οὐλαμαΐς

(lege Οὐλαμλαΐς.) — 33, 18 וַיָּבֹא יַעֲקֹב שָׁלֵם עִיר שְׁכֶם et venit Jacobus incolumis ad urbem Sichem. Noster vero: καὶ ἦλθεν Ἰακὼβ εἰς Σαλὴμ πόλιν Σηκίμων. Atque hinc factum est, ut multi falsam conciperent opinionem, Salem aliud fuisse nomen urbis Sichem. Quam in rem asseveranter Hieronymus in epistola ad Evagrium ait, Sichem esse, quae hic Salem dicitur, et in qua Melchisedec quondam regnaverit, vicumque juxta Scythopolin hoc nomine esse, in quo palatium Melchisedec visatur. Vide et ejusd. Quaest. in Gen. Cum Nostro Syrus quoque facit. — 48, 22 Jacobus dicit Josepho: וַאֲנִי נָתַתִּי לְךָ שְׁכֶם אַחַד עַל־אַחֶיךָ; ipse verborum contextus monet, שכם h. l. non esse nom. propr., sed dorsum hic improprie intelligi debere de tractu, regione, parte, ut sensum optime reddiderit Vulg. do tibi partem unam extra fratres tuos. Male Graecus: ἐγὼ δὲ δίδωμί σοι Σίκιμα ἐξαίρετον ὑπὲρ τοὺς ἀδελφούς σου. Vid. Scharf. animadv. p. 47. — Num. 24, 17 וְקַרְקַר כָּל־בְּנֵי־שֵׁת et perdit omnes filios tumultus i. e. hostem tumultuantem Israëlitisque infestum; καὶ προνομεύσει πάντας υἱοὺς Σήθ. — Deut. 2, 23 T. H. Avvaeos, qui habitabant in pagis בַּחֲצֵרִים usque Gazam; Graecus: ἐν Ἀσηδὼθ (cod. Alex. Ἀσηρὼθ). — 4, 49 תַּחַת אַשְׁדֹּת הַפִּסְגָּה ad radices Pisgae, ὑπὸ Ἀσηδὼθ τὴν λαξευτήν. Cf. 3, 17.

b) Propriis nominibus falso appellativorum tribuit significationem.

Gen. 12, 6 (cf. Deut. 11, 30) עַד אֵלוֹן מוֹרֶה usque ad terebinthum Moreh, ἐπὶ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν, quasi מורה deducendum esset a ראה, cum veri multo similius sit, nomen ductum fuisse a possessore arboris, non secus ac cap. 13, 18 בְּאֵלֹנֵי מַמְרֵא, quae verba rectius Noster reddit: παρὰ τὴν δρῦν τὴν Μαμβρῆ. — 14, 5 וְאֶת־הַזּוּזִים בְּהָם et Zuzaeos (percusserant) in Ham;

populus et regio ceterum ignota. Videtur Graecus soni similitudine inductus prius confudisse cum עזוזים, posteriu saliis pronuntiavit punctis בָּהֶם; sic enim illa reddit: καὶ ἔθνη ἰσχυρὰ ἅμα αὐτοῖς, eumque ad verbum sequitur Itala: e t g e n t e s f o r t e s s i m u l c u m e i s; Vulg. et Z u z i m c u m e i s. — 22, 2 verba אל־ארץ המריה in r e g i o n e m Morijae transfert: εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν, ut manifesto eandem secutus sit etymologiam, quam ipse auctor v. 8 et 14 innuit, nomen illud referens ad radicem ראה. Pari modo Vulg. t e r r a v i s i o n i s; Aquila: εἰς τὴν γῆν καταφανῆ· Sym. γῆ τῆς ὀπτασίας. — 23, 9. 25, 9 מערת המכפלה s p e l u n c a M a c p h e l a, τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν. — Num. 27, 12 הר העברים m o n s A b a r i m, τὸ ὄρος τὸ ἐν τῷ πέραν. Vide contra 33, 47. Deut. 32, 49. — Num. 32, 35 יָגְבְּהָה nomen loci in tribu Gad, ὕψωσαν αὐτὰς, leg. יַגְבִּהָה. — 33, 8 אֵתָם pars deserti usque ad Maram, a loco quodam et deserto Aegyptiaco ejusdem nominis appellati, cf. v. 6. Exod. 13, 20. In graecis ei respondet αὐτοί· unde patet, interpretem illud pronuntiasse אַתֶּם, quod passim nominativi vices gerit; cf. Jos. 7, 15. 2 Reg. 6, 5. 1 Sam. 17, 34 etc. — 34, 4 חצר־אדר nomen loci in tribu Judae, εἰς ἔπαυλιν Ἀρὰδ. Vers 7 הֹר הָהָר ad montem H o r, παρὰ τὸ ὄρος τὸ ὄρος; legit procul dubio הַר pro הֹר. Rectius Deut. 32, 50 vertit: ἐν Ὢρ τῷ ὄρει. — Deut. 1, 1 די זהב nom. loci in deserto, καταχρύσεα. — 3, 11 רבה nom. urbis, quae caput fuit imperii Ammonitarum, ἡ ἄκρα, bene quidem, si etymologiam spectes, per quam illud m e t r o p o l i m denotat. — 7, 5. 16, 21 אשרה D e a F o r t u n a i. e. secundum Phoenicum Aramaeorumque mythologiam A s t a r t e s. stella Veneris. Male Noster l u c i (ἄλσος) signif. ei tribuit. Vid. Gesen. Thesaur. T. I. p. 162. — Conf. Gen. 2, 15. 3, 23. 24. 35, 27 coll. 23, 2. — Num. 21, 11. 27, 12. 34, 11. Deut. 3, 29.

c) Vocibus interdum talem subjicit notionem, quae eis per se quidem spectatis, non vero ratione habita contextus convenit.

Gen. 27, 39 הנה משמני הארץ יהיה מושבך ומטל השמים מעל ecce sine pinguedine terrae erit habitatio tua et sine rore coeli desuper (cadentis); Ἰδοὺ ἀπὸ τῆς πιότητος τῆς γῆς ἔσται ἡ κατοίκησίς σου, καὶ ἀπὸ τῆς δρόσου τοῦ οὐρανοῦ ἄνωθεν. Latuit interpretem vis privativa particulae מן (cf. Job. 11, 15. 21, 9. Jer. 48, 45), quae sensum, loco parallelo v. 28 plane contrarium, nostris verbis tribuit. — 32, 29 Jacobo imponit Deus nomen ישראל, nam, inquit, שרית עם־אלהים ועם־אנשים ותוכל, colluctatus es cum Deo et cum hominibus et superior discessisti. Graecus: ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ, καὶ μετὰ ἀνθρώπων δυνατὸς ἔσῃ. Quamvis vero nomen ישראל bene quoque ad radicem שרה princeps fuit, ut itaque principem Dei, a Deo dilectum denotet, revocari possit, id quod Noster fecisse videtur, nequaquam tamen auctoris mentem assecutus est, qui nominis originem manifesto a שרה luctatus est, deduci vult. — 37, 2 dicitur de Josepho: והוא נער את־בני בלהה et erat famulus cum filiis Bilhae i. e. famulo eo utebantur. Noster, quem plerique alii sequuntur, transfert: ὢν νέος. — 37, 36. 39, 1. 41, 10 שר הטבחים praefectus satellitum, ἀρχιμάγειρος. — 49, 27 בבקר יאכל עד mane comedit praedam; Graecus sibi solus ineptam vindicat interpretationem: τὸ πρωϊνὸν ἔδεται ἔτι. — Exod. 10, 2 אשר התעללתי במצרים ὅσα ἐμπέπαιχα τοῖς Αἰγυπτίοις, quo quidem verbo rectius usus est Num. 22, 29; nostro vero loco contextus ratio suadet, ut illa reddantur: quae perpetraverim contra Aegyptios. — 25, 6 שמן למאר oleum ad candelabrum. ἔλαιον εἰς τὴν φαῦσιν. — Lev. 7, 35 (LXX 25) זאת משחת אהרן haec est portio Aharonis, notione deducta a

dimetiendi significatione, quam verbum משח in lingua Arab. et Syr. habet. Graecus: αὕτη ἡ χρίσις Ἀαρών. Rectius Num. 18, 18 לְמָשְׁחָה reddit εἰς γέρας. — Num. 36, 5 T. H. rectum כֵּן tribus filiorum Josephi locuta est; οὕτως φυλὴ υἱῶν Ἰωσὴφ λέγουσι. — Deut. 1, 1 סוּף, nom. loci in deserto, τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. — 21, 4 נחל איתן rivus perennis, φάραγγα τραχεῖαν.

d) Confundit verba sono similia.

Gen. 35, 27 urbem קרית הארבע convertit in πόλιν τοῦ πεδίου, confundens ארבע cum ערבה. — 39, 4 וישרת אתו et ministravit ei, καὶ εὐηρέστησεν αὐτῷ. Videtur voci nostrae tribuisse notionem verbi ישר, quod cum בעיני constructum significat rectum est in oculis, placet alicui, cf. Num. 23, 27. Jud. 14, 3. 7. 1 Reg. 9, 12. — 49, 24 ותשב באיתן קשתו ויפזו זרעי ידיו sed firmus manebit arcus ejus, et roborabuntur vires manuum ejus. Graecus in contrariam plane sententiam verba de hoste adhuc, cujus v. 23 mentio fit, interpretatur: καὶ συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν, καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων χειρὸς αὐτῶν. Probabilior autem mihi est opinio, eum nonnisi conjectura hunc assecutum fuisse sensum atque verbo rarioris usus (פזז) significationem usitatioris (פוץ) propter soni similitudinem subjecisse quam aliam lectionem (e conject. Cappelli ותשבר et ויפוצו) expressisse. — Exod. 27, 3 coll. loco parall. 38, 3 סירת ollae vertit στεφάνην, ut mihi vix dubium sit, interpretem oscitantem illud reduxisse ad nomen זר, cf. Exod. 30, 3. 4. Ne enim existimes, eum re vera aliam secutum fuisse scripturam, prorsus vetat sententia commatis nostri, ubi de diversis instrumentis altaris, sacerdotum ministerio inservientibus, neque vero de ornamentis illius est sermo. — Deut. 1, 1 בערבה in planitie, πρὸς δυσμαῖς, notione petita ab עֶרֶב. Sic

denotet in locis excelsioribus ad populum congregandum erectum, sponte patet, vocis radicem esse נסס sublevavit, sustulit; hinc Vulg. exaltatio mea. — Exod. 29, 4. 10. 11 etc. אהל מועד tentorium conventus; a יעד Niph. condicto loco cum aliquo convenire. Noster ubique transfert σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου, Vulg. tabernaculum testimonii, a verb. עוד testari; cf. משכן עדות Num. 9, 15 et אהל העדת Num. 18, 2. — Num. 23, 22 תועפת ראם לו celeritas bubali ei est. Vid. Gesenii Lex. s. v. יעף. Graecus: ὡς δόξα μονοκέρωτος αὐτῷ, a rad. יפע splenduit. — Num. 24, 17 אשורנו contemplor eum, a שור. Graecus: μακαρίζω, a verbo אשר (coll. Gen. 30, 13), quod in Piel signif. felicem praedicare aliquem — Vers. 19 וְיֵרְדְּ et dominabitur (de Jacobo) a רדה, καὶ ἐξεγερθήσεται (ἐξ Ἰακώβ)· videtur illud reduxisse ad radicem ירד descendit. — Deut. 26, 8 במרא גדל terrore magno, ἐν ὁράμασι μεγάλοις· male a ראה. Cf. 4, 34.

f) Aliae interpretis hallucinationes in locis imprimis difficilioribus.

Gen. 2, 19 וכל אשר יקרא־לו האדם נפש חיה הוא שמו ad verbum: et omne, quod dicet homo ei, animali vitae, id sit nomen ejus. Nonnihil negotii hoc in loco facessit pronomen לו junctum verbis נפש חיה; quam vero generis anomaliam nonnisi specie talem esse, ostendit Gesenius in Lex. ed. 3. p. 548. Vide similem verborum constructionem in Hoffmanni Gramm. Syr. p. 318. Noster ignorans veram structurae rationem particulam לו connectit cum voce אשר, tanquam nota relationis (vid. Gesenius Lehrgeb. §. 197.) vertitque: καὶ πᾶν ὃ ἐὰν ἐκάλεσεν αὐτὸ Ἀδὰμ ψυχὴν ζῶσαν, τοῦτο ὄνομα αὐτῷ, et omne, quodcunque (ὃ ἐὰν αὐτὸ) vocavit Adamus animam vi-

vam, id nomen ejus est. Ad verbum graeca transfert Itala: et omne, quodcunque vocavit illud Adam animam vivam cet. Atque hujus generis hebraismi frequentissima in versione nostra sunt exempla, conf. Exod. 23, 27. 35, 1. Lev. 4, 23. 16, 32. 21, 18. 19, 20. etc. Quod vero ad pron. *αὐτῷ* in fine commatis attinet, id per generis enallagen ortam inde, quod nimis presse hebraea reddidit Graecus, referendum duco ad voc. *ψυχὴν*. — 6, 3 in convertendis verbis בְּשַׁגַּם הוּא בשר propter errores suos caro sunto, cum illis facit, qui primam vocem compositam esse censent ex בְּ, שַׁ = אשר et גם, *διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας.* — 16, 13 אתה אל ראי כי אמרה הגם הלם ראתי אחרי ראי tu es Deus visionis (s. qui visus est); dixit enim: num hic etiam video post visionem i. e. num adhuc lumine, vita fruor, posteaquam Deum conspexi? (cf. §. 13.) At Graecus neque priora verba, quia ראי perperam participii loco habuit, recte transtulit: *σὺ ὁ θεὸς ὁ ἐπιδών με·* neque posteriorum sensum assecutus est vertens: *καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον ὀφθέντα μοι.* — 18, 12 אחרי בְלֹתִי היתה־לי עֶדְנָה num postquam senex facta sum, erit mihi voluptas? Bene Aquila ad verbum: *μετὰ τὸ κατατριβῆναί με ἐγένετό μοι τρυφερία.* Ab hebraeo plane aberrat Noster vertens illa: *οὔπω μέν μοι γέγονεν ἕως τοῦ νῦν,* quibus verbis Sara mirari videtur, se, cum eousque nondum peperisset, nunc demum, ubi jam senio confecta sit, parituram. Legit autem בִּלְתִּי et עֲדֶנָּה (cf. Cohel. 4, 2. 3) = עַד־הֵנָּה. — 19, 16 ויתמהמה cunctabatur autem, *καὶ ἐταράχθησαν·* aut retulit formam illam ad rad. תמה miratus est, obstupuit, aut, quod credere malim, satis habuit sensum verbi nostri ita reddidisse, ut causam substitueret pro effectu. Idem enim verbum etiam Ps. 119 (LXX 118), 60 eodem modo transfertur. — 20, 16 הנה הוא־לך כסות עינים לכל אשר אתך ואת כל ונכחת ecce id sit tibi operimentum oculorum propter omnia, quae te-

cum facta sunt et coram omnibus et redarguta fuit. Haec verba, quae virorum etiam doctissimorum ingenia mirifice vexarunt, hunc in modum reddit: ταῦτα ἔσται σοι εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου καὶ πάσαις ταῖς μετὰ σοῦ καὶ πάντα ἀλήθευσον. Videtur נכחת retulisse ad radicem נכח, inusitatam quidem eam in hebraeis, a qua tamen נְכֹחָה quod rectum est, et aliae quaedam voces originem suam ducunt. Magis hebraeis כסות עינים consona sunt verba: εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου, si illa cum Gesenio (Lex. edit. 3. p. 589) interpreteris donum piaculare. Nam τιμή ex usu loquendi interpretis frequentissime est aestimatio, taxatio, hincque pretium, quo quid redimitur (vide imprimis Lev. cap. 27); quocum bene conciliari potest notio pretii sive mulctae, qua delictum redimitur, expiatur. Τιμὴ τοῦ προσώπου est igitur pretium, quo vultus laesus et offensus reconciliatur, pretium piaculare. — 22, 14 בְּהַר יהוה יראה in monte Dei providebitur, ἐν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη. — 41, 43 obscuri significatus vocem אברך, quam quidam originis Aegyptiacae esse statuunt (vid. Gesenii Thes. s. v.), nonnisi contextorum ratione, ut videtur, atque conjectura, sed parum felici, ductus vertit κήρυξ. — 47, 31 precatus est Israël על־ראש הַמִּטָּה super capite lecti. Inepte Graecus verba, quae ad Israëlem lecto affixum mortique proximum pertinent (cf. 47, 29. 48, 2. 49, 33), transfert: καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ (מַטֶּה). Eodem modo Syrus atque auctor epistolae ad Hebraeos cap. 11, v. 21. — Exod. 22, 12 (LXX 13) si lacerando laceratum fuerit animal, יבאהו עֵד הטרפה לא ישלם adducet testem; laceratum non restituet, ἄξει αὐτὸν ἐπὶ (leg. עַד pro עֵד) τὴν θήραν, καὶ οὐκ ἀποτίσει. Vulg. deferat ad eum quod occisum est. — 24, 10 כמעשה לבנת הספיר ὡσεὶ ἔργον πλίνθου σαπφείρου, a לְבֵנָה later. Sed malim illud nostro loco deduci a לְבָנָה idque de can-

dore, pelluciditate lapidis intelligi. — 34, 14 nam non adorabis Deum alienum, כי יהוה קנא שמו אל קנא הוא sed Jehovam; zelotes est nomen ejus, Deus zelotypus est, ὁ γὰρ κύριος ὁ θεὸς, ζηλωτὸν ὄνομα, θεὸς ζηλωτής ἐστι. Interpres primum in eo peccasse videtur, quod male transtulerit partic. כי, quae hic loci praecedente negatione sed est reddenda (vid. Gesenii Lex. ed. 3. p. 376); dein quod prius קנא tanquam adjectivum arcte suo junxerit substantivo שמו. — Num. 21, 30 וַנִּירָם et jaculati sumus in eos. Noster non secus ac veteres interpretes omnes illud pro nomine habet vertitque τὸ σπέρμα αὐτῶν, neque a vero abhorret eum ניר novale expressisse. — 23, 3 (LXX 4.) וילך שפי discessitque in collem. Minus apte, si usum loquendi (vid. imprimis Jes. 41, 18) ac sententiam loci spectes, interpretatur alteram vocem e notione Syr. ܦܩܥܐ planities: καὶ ἐπορεύθη εὐθεῖαν (cf. Luc. 3, 5 Peschito.), quamquam sunt, qui ejus partes tueantur. — 24, 6 אֲהָלִים veteres fere omnes (LXX. Vulg Syr. Saad. Vers. Sam.) vertunt tentoria, aliis illud vocalibus efferentes reducentesque ad voc. אֹהֶל. Rectius Onk. aromata. — V. 22 כי אם־יהיה לְבָעֵר קין עד־מה אשור תשבך verumtamen incendio delendus erit (nidus tuus), o Cain; quamdiu? Assyrii captivum te abducent. Varias Viri Docti ingressi sunt vias in extricandis verbis hisce impeditioribus; Noster autem hunc in modum ea reddit: καὶ ἐὰν γένηται τῷ Βεὼρ νοσσιὰ πανουργίας (לְבְעֹר קֵן עָרְמָה), Ἀσσύριοι αἰχμαλωτεύσουσί σε. Quid vero interpretis verba sibi velint, bene Rosenmüllerus in Scholiis ad h. l. hac ratione explicuit: Si posueris in petra nidum tuum, illaque rupes Cinaeorum duci (Beor) nidus sit astutiae, hoc est, habitatio et quasi nidus, in quo astute latitet; tamen Assyrii te captivum abducent. — Deut. 25, 7 לא אבה

יִבְּמִי noluit leviri officium praestare mihi, οὐκ ἠθέλησεν ὁ ἀδελφὸς τοῦ ἀνδρός μου. Falso verbum habuit pro nomine יָבָם.

§. 21. *Bonae notae interpretamenta.*

Quamquam frequenter satis diligentioris interpretis partes parum accurate agentem Graecum nostrum hactenus vidimus, eo tamen minus errores et hallucinationes variae, in quas passim incidit, praestantiae ac dignitati Versionis detrahere valent, cum altera ex parte egregius sit usus exegeticus, quem tot bonae notae interpretamenta, quibus illa abundat, praestare tibi possint. Quo enim propius Pentateuchi translatio ad illam accedit aetatem, ubi Judaei patrium sermonem nondum cum peregrino commutarunt, eo veriorem certioremque fuisse traditionem exegeticam, quam Noster in intelligendo explicandoque codice sacro sit secutus, a vero haud abhorret. Hinc fit, ut quum in singulis verbis, quae vel usus rarioris vel dubiae sunt originis, interpretandis, tum in sententiis difficilioribus expediendis, ubi alii interpretes haeserunt vel prorsus a vero aberrarunt, haud raro optimam eum rationem inire et id quod verum est, plane attingere sentias. Sed age jam exempla ipsa, licet pauca tantum ex multis, videamus.

Gen. 2, 18 T. H. faciam ei sociam כנגדו velut e regione ejus i. e. ei accommodatam convenientemque; recte Graecus: βοηθὸν κατ' αὐτόν ac vers. 20 ὅμοιος αὐτῷ. Atque haec vocis interpretatio cum et in lingua hebraea habeat, quo nitatur et loci sententiae optime congrua sit, non est, quod cognatarum dialectorum usum consulas, quod alii passim fecere. — 3, 14 ארור אתה מכל־הבהמה maledictus esto ab omni pecude, ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν. Cf. 4, 11. Deut. 33, 24. Magis placet haec verborum explanandorum ratio

quam altera, qua particulae מן comparativi potestas tribuitur. — 4, 12 14 egregie reddit paronomasiam, quae inest in verbis נָע וָנָד hoc modo: στένων καὶ τρέμων. — 6, 3 ידון ab ἅπαξ λεγομ. דון bene, quod ad sensum attinet, vertit καταμείνῃ, neque aliam conjeceris scripturam, quam sit secutus. Cum Nostro faciunt Vulg. et Onk.; atque ita fere Syr. et Saad. — 8, 13. 14 recte חרב ita distinguit a יבש, ut prius reddat ἐξέλιπε, posterius ἐξηράνθη. Vid. Gesen. Lex. ed. 3. p. 288. — 24, 55 ימים או עשור ἡμέρας ὡσεὶ δέκα· Vulg. saltem decem dies. Vid. Gesenii Comm. de Pent. Sam. p. 31. — 27, 3 ἅπαξ λεγ. תְּלִי cum plerisque veterum vertit φαρέτρα, tum etymologia, tum contextu id suadente. — 29, 15 הכי אחי אתה ועבדתני חנם num quod consanguineus meus es, gratis mihi servies? Bene Noster absque interrogatione: ὅτι γὰρ ἀδελφός μου εἶ, οὐ δουλεύσεις μοι δωρεάν. — 39, 20 בית הסהר munimentum, carcer, Graecus: ὀχύρωμα, cui interpretationi Samaritanus in undecim codd. subvenit corrigendo סחר. Vide Gesen. l. l. p. 56. — Vs. 21 ויחן חנו pro חן לו (vid. Ges. Lehrgeb. p. 730), καὶ ἔδωκεν αὐτῷ χάριν. — 42, 1 למה תתראו cur vos invicem adspicitis i. e. cunctamini? ἵνατί ῥαθυμεῖτε; Male Sam. cur timetis? Syr. ne timeatis, permutatis verbis ראה et ירא. — 49, 6 veteres tantum non omnes haeserunt in interpretandis verbis עקרו־שור, quorum posterius murus שור transtulerunt. Verum contra vidit Noster vertens illa: ἐνευροκόπησαν ταῦρον. — 49, 11 ἅπαξ λεγ. סות idem esse ac כסות, quod Samaritanus interpretamenti causa exhibet ortumque ex hoc per Aphaeresin literae Caph, confirmant LXX ac Vulg., qui pro eo habent τὴν περιβολὴν αὐτοῦ (cf. Exod. 22, 27. Deut. 22, 12), pallium suum. Vid. Gesen. de Pent. Sam. p. 33. — Exod. 12, 4 ἅπαξ λεγ. כסס orationis sententiae apprime convenienter reddit συναριθμήσεται, assentientibus Syr. et Chald. — 21, 3. 4 בגפו cum corpore suo i. e. solus, caelebs; quam

Interpretationem praeter Nostrum, qui habet μόνος, tuentur Syr. Saad. Onk.; Sam. corrigit בגפיו (vid. Gesen. l. l. p. 34), Vulg. cum vestimentis suis. — 34, 7 verba: ונקה לא ינקה, in quibus explicandis interpretes in contrarias plane abeunt partes, dum alii ea de gratia, alii de vindicta Dei intelligunt, accommodate ad sensum, licet paulo liberius, transfert: καὶ οὐ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον. — Lev. 14, 37 ἅπαξ λεγ. שקערורת, quod Noster κοιλάδες, Vulg. vallículae vertit, cavitates, loca profundiora significare, tam contextorum ratio, quam etymologia docet. Vid. Gesen. Lex. s. v. — Num. 4, 20 multum exercuit interpretes vocabulum בלע, cui nulla idonea auctoritate nixi tegendi signific. tribuerunt. Sed id, quod verum est, docuit Gesenius in Lex., atque in eandem sententiam interpretatur illud Graecus ἐξάπινα. — 5, 21. 22 rarioris usus verbum צבה atque adject. צָבֶה veteres omnes fortasse traditione edocti vertunt intumesco et tumidus, πρῆσαι, πεπρησμένην, sensu probabili satis commodoque. — 7, 3 עגלת צב plerique Vett. (Aqu. Onk. Vulg. Saad.) currus tecti transtulerunt coll. Arab. ضبّ; rectius forsan Noster ἅμαξαι λαμπηνικαί. Vid. Gesen. Lex. — 10, 36 שובה Vulg. Onk. Syr. revertere; at praecedenti commati magis congrue transitivam Graecus ei tribuit significationem vertitque ἐπίστρεψε, reduc, Jehova, myriades Israëlis. — 11, 8 verba לשד השמן, quorum prius praeterquam Ps. 32, 4 nusquam alibi in veteris Test. libris occurrit, nostro loco placentae oleo maceratae notionem involvunt, eandemque exprimunt LXX. (ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίου) Vulg. Onk. — Vs. 25 verba: ולא יספו, de quorum sensu variisque veterum in illo constituendo conjecturis vid. Gesenii Comm. de Pent. Sam. p. 41 (cf. ejusd. Lehrg. p. 825) bene Noster consentiente Syr. et Saad. transfert: καὶ οὐκ ἔτι προσέθεντο. — Ejusd. cap. vers. 31 text. hebr.

וַיָּגָז שַׂלְוִים מִן־הַיָּם et transtulit coturnices a mari. Sunt, qui ויגז ad verbum גזז referant: avulsit a mari cet.; rectius LXX ac Vulg. radicem statuere גוז = جاز transiit, cui notionem Hiphilicam tribuentes verterunt: ἐξεπέρασεν, detulit. — 24, 17 in verbo minus usitato קַרְקַר. Samaritanus offendit, ut substitueret קדקד; verum sensum reddit Noster: προνομεύσει, Vulg. vastabit, prope accedunt Syr. et Saad., Onk. dominabitur. — Deut. 15, 4 varie interpretantur verba: אפס כי לא יהיה־בך אביון; alii enim legem de debitis septimo quoque anno non exigendis hoc commate ad pauperes restringere volentes vertunt: nisi fortasse pauperes non sint; alii, quibus adstipulari malumus, praeeuntibus LXX. Vulg. Onk. Saad. hunc in sensum illa transferunt: veruntamen non erit in te pauper. — Vs. 14 quae vera vocum העניק תעניק sit significatio, vide in Gesen. Lex.; Noster cum Vulgato interprete bene reddit sensum: dabis viaticum. Male Onk. separans separabis, ac Syrus: segrega et da illi. — 20, 19 nonnihil difficultatis habent posteriora commatis verba: כי האדם עץ השדה לבא מפניך במצור, quae rationem sequentes Nostri, Vulg. et Onk. hoc modo vertenda censemus: num enim homo est arbor, qui obviam tibi veniat in obsidione, ut igitur ה in האדם interrogationem eamque negativam involvat. Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 834. — 32, 15 ἅπαξ λεγ. כשה, quod hic aliis verbis pinguedinem denotantibus junctum legitur, apposite ad sententiam loci reddit ἐπλατύνθη. Vulg. dilatatus ac similiter Saad., Onk. et Syr. possedit opes. — 32, 18 plurimum negotii fecit interpretibus verbi forma תֶּשִׁי, aliis aliam ejus deducendae rationem ineuntibus. Conveniunt autem veteres in derelinquendi vel obliviscendi notione, quam verbo illi tribuunt, parallelismo membrorum atque sensu omnino favente. Hinc Noster: ἐγκατέλιπες, Vulg.

dereliquisti. — 33, 7 Varias viri docti effinxere conjecturas in interpretandis verbis perdifficilibus: ידיו רב לו; verum contra et simplicissimum ac vulgari scripturae plane convenientem sensum viderunt jam veteres tantum non omnes. LXX: αἱ χεῖρες αὐτοῦ διακρινοῦσιν αὐτῷ· Vulg. manus ejus pugnabunt pro eo.

§. 22. *De locis quibusdam interpretationis difficilioribus.*

Superest, ut quosdam etiam ex illis videamus locis, in quibus dubium esse potest, utrum et quamnam diversam a vulgari interpres expresserit lectionem; quorum quidam ita sunt comparati, ut adeo ipsi interprete egeant tantaque premantur obscuritate, ut alios aliam in iis expediendis ingressos videas viam, conjecturam plerumque ducem sequentes. Ex hoc genere sunt:

Gen. cap. 4, vers. 7, cujus priorem partem הלוא אם־תיטיב שאת ואם לא תיטיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ nonne si bene feceris, elevatio (i. e. laetus vultum tollere poteris)? sin vero non bene feceris, ad januam peccatum cubans est? mirum in modum Noster ita convertit: οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον. Simplicissima autem haec verba interpretandi ratio est ea, quam iniit Is. Vossius (de LXX Intt. p. 33) docens, Cainum recte quidem fecisse, quod obtulerit sacrificium, sed non recte divisisse, quia meliorem partem sibi reservasset. Speciosior quidem est L. Bosii (in Obs. critt. p. 27) interpretatio sic locum expedientis: recte quidem, quod ad externum sacrificium, de frugibus terrae donum Deo obtulerat Cainus, sed animus ipsius perversus non discernebat inter bonum et malum, impius erat et in Deum non credebat. Sed dubito, num verba nostra hanc sententiam ferant. Quod vero ad fontem et originem tantae graeci textus ab hebraeo discrepantiae at-

tinet, manifestum quidem est, interpretem participium רבץ imperativi ac nomen verbale שאת infinitivi loco habuisse et arcte junxisse verbo תיטיב (si rite obtuleris sc, sacrificium) atque חטאת pronuntiasse חַטָּאת; diversissimae autem sunt VV. DD. opiniones in explicando לפתח, quas vide in Schumanni Pent. hebr. et graece. Vol. I. p. 75. Veri mihi perquam simile est, eum vulgarem scripturam secutum aliis illud punctis pronuntiasse לְפַתֵּחַ idque de divisione sacrificii intellexisse; atque haec conjectura eo propius a veritate abest, quod פתח alibi quoque ab intt. Alexx. per verbum cognatae significationis, διαῤῥήγνυμι, redditur. Conf. Ps. 30, 12. (LXX 29, 11) 105, 41. (LXX 104, 41.) Jes. 45, 1. — Nec minori difficultate premitur posterior commatis pars ואליך תשוקתו ואתה תמשל־בו et ad te est appetitus ejus (peccati), tu vero dominaberis ei sic ab Nostro translata: πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ· Itala: ad te enim conversio ejus et tu dominaberis illius. Quae loci difficultas in pronom. αὐτοῦ atque nomine, ad quod illud referendum sit, posita est, eamque Hieronymus (Quaest in Gen. ed. Martianey T. II. col. 511) hac ratione expedire conatur: „Quod autem, inquit, in LXX interpretibus fecit errorem, illud est, quia peccatum, id est, Attath in hebraeo generis masculini est, in graeco feminini; et qui interpretati sunt, masculino illud (ut erat in hebraeo) genere transtulerunt.“ Cum vero vox ἁμαρτία, ad quam αὐτοῦ per generis enallagen referendum sit, in graecis plane desideretur, alii eam, ut apta esset Hieronymi observatio, subaudiendam censuerunt. Nimis autem duram hanc fore ellipsin, neque totius loci interpretationem a verbis hebraeis plane alienam hujus modi supplendi rationem suadere, nedum flagitare, licet plerique in eandem sententiam concedant, persuasum mihi habeo.

Quare

Quare pron. αὐτοῦ de Abele intelligendum atque interpretis verba ratione habita loci paralleli 3, 16, ubi eadem plane de uxore Adami leguntur, hunc in modum interpretanda esse puto: Ut uxor se convertit ad maritum, cujus tutela nitatur ejusque imperio propter sexus infirmitatem paret: sic Abelem, ait, ad Cainum semet conversurum, qui ratione habita aetatis tanquam major in minorem fratrem imperium sit habiturus; quam ob causam quiescere (ἡσύχασον), animo pacato esse jubetur.

Gen. 6, 16 צֹהַר תַּעֲשֶׂה לַתֵּבָה fenestras facies arcae, ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν; vetus Versio latina: colligens facies arcam. Dubium videri potest, quam vocem interpres hoc modo hebraea convertendo expresserit. Facilis quidem est conjectura, eum permutatis literis ה et ב, quas vetus scriptura admodum sibi invicem similes exhibet, legisse צבר, quod Gen. 41, 35. 49. Exod. 8, 10. (LXX v. 14.) Job. 27, 16 redditur συνάγω. Sed fieri etiam possit, ut ἅπαξ λεγομένῳ צהר tribuerit notionem Arab. صهر Conj. III. affinitatem contraxit, affines sibi junxit eos; IV. conjunctus illis fuit.

Gen. 9, 6 שֹׁפֵךְ דַּם הָאָדָם בָּאָדָם דָּמוֹ יִשָּׁפֵךְ qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effundetur; ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται. Haec verborum interpretatio quonam modo orta fuerit, varie explicare tentarunt viri docti. Ex Lud. Cappelli (Crit. sacra ed. Vogel - Scharfenb. T. II. p. 565) sententia pro באדם דמו legit בעד דמו, deceptus vocum affinitate quod ad sonum attinet. Vaterus (Comment. über den Pent. T. I. p. 83) opinatur, lectionem ברמו ortam ex באדם דמו interpretationis illius causam exstitisse. Holmes textum ipsum graecum affectum et corruptum censet suspicaturque olim fuisse in codd. graecis Al-

ΜΑΤΟΕΑΥΤΟΥ, quod facili errore abierit in ΑΙΜΑ-ΤΟCΑΥΤΟΥ. Ut nostra fert opinio, neque textus graecus vitio laborat, neque interpres aliam secutus est lectionem, sed דמו tanquam appositionem, ut Grammatici loquuntur, retulit ad praecedens באדם, hujus vero locum ope suffixi nominis דמו in convertendo explevit. Ex interpretis igitur mente sententia ita constituenda est: Pro homine (quem occidit, pro) sanguine ejus, sive, ut Noster, compendii causa omisso אדם, cum idem proxime antecedat: pro sanguine ejus effundetur sc. homicida i. e. sanguis sive vita hujus pariter effundetur. Bene ellipsin supplet vetus Versio latina: Qui effuderit sanguinem hominis, pro sanguine ejus effundetur anima ejus (ed. Compl. ἀντὶ τοῦ αἵματος ἀνθρώπου τὸ αὐτοῦ ἐκχυθήσεται), eandemque rationem ingressus est Ambrosius (vid. Sabatier latinae verss. antiquae T. I. p. 33.) sic ad nostrum locum disserens: „Non erravit locutio, sed emphasis est, id est, exaggeratio facta verborum est, eo quod is qui effuderit sanguinem hominis, ipse quasi sanguis effundetur."

Gen. 48, 11 Jacobus dicit Josepho: ראה פניך לא פללתי non judicavi, id est, non putavi, me faciem tuam, me unquam te visurum. Graecus in contrarium plane sensum hebraea hoc modo reddit: ἰδοὺ τοῦ προσώπου σου οὐκ ἐστερήθην· Vulg. non sum fraudatus adspectu tuo. Nonnihil lucis huic interpretationi affundit Arab. فلّ, quod in conj. IV. signif. destitutus, exutus fuit opibus. Dicet vero quispiam, ipsum פלל findendi separandique significationem, a qua reliquae tanquam secundariae deducantur, in hebraeis habere (cf. Gesenii Lex. s. v.), interpretem igitur eandem et nostro loco verbo subjecisse, quasi id in Pyal transtulerit: non sum separatus a facie tua, non sum ea privatus, οὐκ ἐστερήθην Cui quidem sententiae nihil habeo, quod ob-

vertam; nam non modo non pugnat, sed facit ad rem nostram ipsam. Cum enim פלל nullo alio V. T. loco hanc interpretationem ferat eaque nonnisi de conjectura tribui ei possit, ipsius translationis nostrae auctoritate clare evincitur, verbum illud olim revera notionem Arab. فلّ rupit, conj. IV. destitutus fuit, sibi vindicasse.

Impeditior est locus Exod. 13, 13 וכל־פטר חמר תפדה בשה ואם־לא תפדה וערפתו et omne primogenitum asini redimes agno, et si non redemeris, interficies. At Graecus: πᾶν διανοῖγον μήτραν ὄνου ἀλλάξεις προβάτῳ· ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξῃς, λυτρώσῃ αὐτό, collato loco parallelo c. 34, 20, ubi ערפתו reddit τιμὴν δώσεις. Equidem existimo, graeci textus discrepantiam neque hic e vitio lectionis ortam, neque necesse esse, ut in altero loco cum Bonfrerio, quem laudat Schleusnerus (Thesaur.), pro λυτρώσῃ legas λυθρώσῃ, cruentabis, sanguinem ejus fundes, in altero eodem judice Schleusnero pro τιμὴν δώσεις restituas τενοντώσεις (quae est Aquilae interpretatio c. 13, 13), nullo plane codice consentiente. Mihi quidem interpres utroque loco, licet diversis verbis, eundem tamen sensum expressisse videtur, scilicet hunc: omne primogenitum asini mutabis sive redimes ove, sin autem ove non mutaveris, pretium redemtionis dabis, pecuniae certo et per legem determinato pretio dato illud redimes. Quare magis mihi probatur opinio, eum permutatis literis פ et כ, quarum major etiam figurae similitudo est in scriptura Samaritana, legisse וערכתו, ab ערך, eique de conjectura tribuisse significationem τιμὴν δίδωμι, cum עֵרֶךְ aestimatio, taxatio Lev. cap. 27 et al. saepissime reddatur τιμή, העריך vero τιμήσεται.

CORRIGENDA.

Pag. 6 lin. 11 lege בסיח

— 12 — 13 — Gerare.

HALAE,

TYPIS HENRICI RUFII JUN.